pacem quæris: *Non eſt pax impiis.* (*Iſa.* 48. *v.* 22.) &c. Atque hæc de pace cum Deo.

### §. II. *Pax cum proximo ſervanda.*

5. At enim hæc ipſa pax cum Deo inviolata conſiſtere nequit ſine pace cum proximo; inter alia enim præcepit, & per Apoſtolum Paulum (*Hebr.* 12. *v.* 14.) promulgavit Deus: *Pacem ſequimini cum omnibus*; obtemperandum ergo eſt: pax cum proximo ſancienda eſt: neque arduam putetis hanc legem, quippe quæ ab ipſa etiam natura nobis indita, & congenita eſt. Intueamur primam mundi Geneſim: (*c.* 2.) ibi ſingulariter adverto, quod rerum omnium Pſalmator Deus diverſiſſimas animalium, piſcium, herbarumque ſpecies produxerit, non tamen ita, ut, exempli cauſſa, ex primo equo equam, ex primo leone leænam, ex prima herba herbas ceteras produxerit: cum autem ad creationem hominis ventum eſt, ex ipſo primo homine materiam, videlicet coſtam ad procreandam mulierem deprompſit: adeoque etſi numquam verum ſit ab uno equo equos omnes; ab uno leone leones omnes deſcendere; verum tamen veriſſimum eſt, ab uno homine homines omnes originem trahere: cur ita? quem in finem ab uno genus humanum inchoatum eſt? reſpondet Auguſtinus: (*ſerm.* 20.) non alium in finem, niſi *ut generi humano unitas commendetur.* Unitatem inter nos firmare vult Divinus Creator, ideo ab uno produxit omnes, ſicut ab una radice omnes pullulant rami. O ſancta Unitas! mirum foret, ſi tibi illacrimaret, adeo diſcordiis, & diſſenſionibus convelleris. *Natura nos cognatos edidit*, ait Seneca, (*Ep.* 43.) & tamen mutuo in ſe ſæviunt homines, diſcrepant amici, colliduntur fratres, bellantur invicem conjuges, tamquam non ab uno luto, ſed iſte ex ferro, alter ex auro, ille a pardo, hic a leone originem traheret. Heu! quantæ in aulis invidiæ, in curiis diſſenſiones, in tribunalibus litigia, in capiendis hereditatibus diſceptationes, in locandis dotibus altercationes, in domibus jurgia; res nauci, unicus ſæpe florenus eſt illud pomum diſcordiæ, quod amicos etiam intimos ad arma concitat: Merito, ſi ſtatus hominum omnes a ſummo ad infimum, a primo ad ultimum percurram, dubitare de ſingulis poſſum, ac quærere: *Quis eſt homo, qui .. inquirat pacem, & ſequatur eam?* (1. *Petri* 3.) Miraculo ſimillimum eſt, quod in vita Sancti Macarii (*Roſvveid.*) perhibetur, nimirum in urbe Alexandria duas mulieres conjugatas tam inter ſe, quam maritis in eadem domo adeo pacifice converſatas fuiſſe, ut per viginti omnino annos nulla unquam diſcordia animorum conſenſio fuerit interrupta. Hæc autem pax domeſtica uſque adeo placuit Domino Deo, ut Sancto Macario poſt plurimum annorum auſteritatem revelatum ſit, has duas mulieres Alexandrias in meritis ipſi eſſe æquales. Auditis hæc talia, o conjuges? audiamus, inquiunt: at enim meus maritus, mea uxor, meus vicinus, meus contubernalis genium habent bellicoſum, aſperum, moroſum, tigride, ac leone ferociorem: bellua eſt, non homo: quid tum? Animalia in arca, etſi natura fera, & indomita, ita tamen perfecte Noemo ſubdita fuerunt, ut quamdiu in arca convixerunt, manſueta, ac pacifica fuerint: Et homo Chriſtianus, qui verſatur in arca ſalvifica Eccleſiæ non poſſit ita perfecte ſubeſſe Deo, ejuſque legi præcipienti: *Diligite alterutrum*? &c. Vah! piget me porro colloqui cum hominibus feris ferocioribus: promiſſe ad tertium pacis genus feſtino.

### §. III. *Pax ſecum ipſo. Appetitus hominis turbant pacem internam.*

6. Atque hæc tandem pax illa eſt, quæ ſancienda eſt ſecum ipſo: quemadmodum enim, affirmante Sancto Chryſoſtomo, (*hom.* 3. *in Geneſ.*) nihil miſerabilius eſt civitate, quæ præſidiis quidem, ac muris munita eſt, intus tamen foveat proditores: ita parum prodeſt pax externa cum proximo, ſi intus in animo reſideant domeſtici turbatores. Quinam ſunt iſti turbatores pacis? ſunt ſenſualitates carnales; ſunt gemini appetitus hominis inferioris, concupiſcibilis, & iraſcibilis, hi ſemper reluctantur, ſemper rebellionem movent, ſemper ſpiritui contradicunt, &c. Subjugandi ergo ſunt ſeditioſi appetitus, ac ſubjiciendi ſunt voluntati, voluntas rationi, ratio Divinæ Legi, atque per hanc ſubordinationem conſurget illa animi tranquillitas, quam Pſalmographus dilaudat: (*Pſal.* 118. *v.* 165.) *Pax multa diligentibus legem tuam.* Dionyſius Carthuſianus, (*ap. Manſi tract.* 6. *diſc.* 1. *n.* 4.) hunc Pſalmiſtæ verſiculum in rem noſtram explicans, adſtruit, Sanctum Auguſtinum hic nomine pacis intelligere bonam conſcientiam, moxque ipſe ſubjungit: *Dilectio legis Divinæ, eſt cauſſa pacis internæ, & quanto legem Dei perfectius amamus, & obſervamus, tanto pleniorem in nobis pacem ſortimur.* O Chriſtiana pectora, ad hanc pacem, obſecro, aſpirate! hæc enim ſola eſt unicum, verum, ac ſolidum veræ lætitiæ, & felicitatis fundamentum. Audite vos Reges, vos Principes, vos magna mundi Idola, vos vanitatis Tantali, vos mundanæ felicitatis aucupes, audite: nollem ego cum veſtris coronis, cum veſtris theſauris, cum veſtra, quantacumque eſt, gloria, cum veſtris bellis, ac triumphis, cum veſtris commeſſationibus, & tripudiis, cum veſtro auro, & argento, cum veſtris lætitiis, ac voluptatibus &c. Nollem, inquam, hanc internæ pacis, ac tranquillitatis theſaurum commutare; de hoc enim, & non alio, enuntiaſſe videtur Auguſtinus: (*de Civit. Dei.*) *Tale bonum eſt bonum pacis, ut in rebus creatis nihil gratioſius concupiſci, nihil utilius poſſit poſſideri.*

7. *Epilogus.* Audiſtis, Auditores, præſtantiam, triplicis pacis, cum Deo, cum proximo, & ſecum ipſo: Felicem me! ſi perſuaſi, ut





hodierna dies ſit dies triplicis pacificationis: quare adquieſcite meis conſiliis: Julius II. Pontifex (*Gerardus Rhe. l.* 10. *hiſt. auſt. p.* 95.) cum Cæſare, & Rege Gallo fœdus iniens, Sacroſanctam Hoſtiam in tres partes diviſit, & ſingulis diſtribuit, in ſignum, & pignus, quod unanimitatem confœderationis ſacroſanctam habere exoptet. Ita & vos facite: pauci ſunt dies, ex quo Sacramentum Paſchale in reconciliationis humanæ fœdere vobis collatum eſt, (*Eccl. in orat. ferm. ſext. infra Oct. Paſchæ.*) hujus ſacroſanctæ Hoſtiæ partem unam conſignate Deo, in teſtimonium deinceps evitandi peccatum, cauſſam unicam Divinæ inimicitiæ; alteram partem conſignate proximo, in teſſeram inviolabilis concordiæ: tertiam partem reſervate vobiſmet ipſis in ſtabilimentum internæ pacis, ac tranquillitatis. Ita felices eritis in hac vita, & poſt hanc experiemini, quod *Beati pacifici, quoniam Filii Dei vocabuntur.* (*Matth.* 5. *v.* 9.) Pax vobis. Amen.

Dominica I. poſt Paſcha

# CONCEPTUS II.

## Deliberatur, utrum pax ineunda ſit cum dæmone, illique de novo bellum denuncietur.

*Pax vobis.* Joann. 20.

## EXORDIUM.

### *Dæmon offert conditiones pacis, ſed fraudulenter.*

1. BOna nova vobis fero, O Chriſtiani, qui hactenus inter decumanas dæmonis tentationes miſerandum ingemuiſtis, bona nova: videtur inveteratum tentatoris odium, bellumque ad finem vergere: affulget ſpes pacis, ipſeque hoſtis, jam tandem tentando laſſatus, ad amicam compoſitionem inclinatus eſſe apparet: Pacem offert, atque palam demonſtret ſerio ſe agere; præliminares pacis conditiones per me vobis inſinuat. Placet audire? audite. Primo vult infernalis tentator, ut porro nullos conſiliarios, miniſtroſque, ſibi adeo hactenus infenſos, concilio adhibeamus. Secundo petiit, ut finium, ſeu terminorum propugnacula demoliamur, & deſtruamus. Tertio, ut illi locum munitum, tanquam pignus, & ſubarrhationem fidei, concedamus. Quarto denique, ut liberum illi auditum, reditumque indulgeamus. Has conditiones ſi nos ſubſcribere, rataſque habere velimus, ſpondet fidem, jurat amicitiam, offert pacem perpetuam. Quid vos ad hæc, Chriſtiani Auditores? ego ſubtimeo, neſcio, quæ mala ſuſpecta mihi ſunt omnia, novi hoſtem, novi aſtutiam, metuo, ne ſub ſchemate pacis crudeliſſimas inſidias machinetur: quot blanditiis, promiſſionibus, & lenociniis fallaciſſima Jahel decepit infelicem Siſaram: *Intra ad me, Domine mi intra, ne timeas*, (*Jud.* 4.) ſpopondit pacem, ac ſecuritatem; dein miſerum, clavo per tempora adacto, confixit; crudele hoc latrocinium miſeratus Berchorius, (*l.* 7. *Mor. Script. c.* 3.) exclamat: *Talis mulier eſt diabolus*: blanditur, experimat, invitat ad amicitiam damnoſiſſimam, offertque pacem ipſo bello nocentiorem. Dubitatis de hac veritate?

2. *Propoſitio.* Ergo agite, inſtituamus deliberationem ſupra conditiones a Diabolo nobis propoſitas, videamuſque, utrum ſerio ajat, *Pax vobis*; ſicut Chriſtus hodie ad Apoſtolos. Tu interim, infernalis tentator, abſcede: finita deliberatione, reſponſum tibi referemus, an pacem amplecti, aut bellum proſequi expediat. Vos vero, Auditores, rem graviſſimi momenti bene expendite, & me patienter audite.

### §. I. *Prima eſt, ut nullos conſiliarios adhibeamus.*

3. *Confirmatio.* Prima pacis conditio eſt, ut Conſiliarios omnes faceſſere jubeamus: quid hoc rei? quinam ſunt hi Conſiliarii? ſunt Parentes, ſunt Inſtructores, ſunt Confeſſarii, & Sacri Prædicatores, qui iteratis monitis nos a ſemita iniquitatis revocant, & ad vitam virtutis impellunt: his faceſſere juſſis, quid fieret? mundus de facto plenus eſt vitiis, & ſceleribus, cum tamen in cathedris, in tribunalibus ſacris, in ſcholis, in domibus privatis infiniti monitores, ſe opponant, quid quæſo fieret his omnibus obmuteſcentibus, profecto tunc homini, præſertim improvidæ juventuti idem contingeret, quod teneræ arbuſculæ, quæ, ſi ſuo fulcimento deſtituitur, facile a vento evellitur, eradicatur, idem illi contingeret, quod equo infrunito, qui ſi capiſtro exuitur, indomito curſu in præcipitia fertur: idem illi contingeret, quod torrentibus, qui ſi riparum repagulis non coerceantur, alveum egreſſi, in arva, ac agros cum damnoſiſſima ſegetum ſtrage exundant. Nemo ſibi ſoli tuto ſapit, utut ceteroquin ſapientiſſimus, & ſanctiſſimus ſit; nam vires animæ tam imbecilles ſunt, quam vires corporis. Sicut ergo vires corporis ab extrinſeco alimentari, nutririque debent, ita & vires animæ videlicet intellectus, & voluntas ab alieno conſilio confortamentum capiant, neceſſe eſt. Quis erat Moyſes? erat Vir Spiritu Dei plenus, erat potens verbo, & opere, imperitabat creaturis, operabatur prodigia ſtupenda, & tamen a ſocero ſuo homine barbaro, & obſcuro conſilium cœpit, dicente Scriptura: *Quibus auditis, Moyſes fecit omnia, quæ ſuggeſſerat.* (*Exod.* 18.) Cur non reſtitit ſocero homini inculto? cur non repoſuit, mihi Deus loquitur, quid agere debeam? cæleſti nuntio admoneor, non indigeo conſilio hominis alieni, & gentilis: nimirum tam faſtuoſa reſponſione abſtinuit, uti annotat Origenes, (*in Ex.* 18.) quia noverat, quod etiam

magni, & admirabiles Viri multa ignorent, quæ tamen parvi, abjectique callent, & quod nemo ſit tam ſanctus, & prudens, qui non indigeat conſiliario. &c.

4. Præterea per Conſiliarios convenienter intelligi poſſunt Præcepta Dei, quæ in omnibus negotiis noſtris inſtar ſpeculi conſulenda ſunt: O quam circumſpecte ſanctus Rex David in rebus agendis hos conſiliarios adhibuit! *Conſilium meum juſtificationes tuæ*, inquit, (*Pſ.* 118.) ſeu, uti legit textus Hebræus: *Juſtificationes tuæ Viri conſilii mei*. Hos ille in Regni negotiis, in moderandis populis, in ordinandis Divinis, & profanis conſuluit, ait Doctiſſimus Speranza, (*Scrips. Sel. punct.* 57.) hos etiam nos in rebus omnibus conſulere debemus: felices, qui ad hos ſemper reſpiciunt, miſeros, qui negligunt: &c. Quod meam igitur opinionem concernit, puto, hanc primam ſuſpectæ pacis conditionem nullatenus poſſe iniri: aſtutia dæmonis tanta eſt, ut etiam millenos animarum curatores fatiget, millena monitorum conſilia eludat. Quid fieret, ſi nullos omnino haberemus Conſultores? perditiſſimi eſſemus.

### §. II. *Secunda, ut finium propugnacula deſtruamus.*

5. Secunda pacis conditio a dæmone propoſita eſt, ut finium, ſeu terminorum propugnacula demoliamur, & deſtruamus: ubi ſciendum eſt, quod Regni alicujus ſecuritas maxime in terminorum, ſeu limitum propugnaculis conſiſtat. Hæc ſi bene munita, ac cuſtodita ſint, regno præſtant contra hoſtiles incurſus immunitatem, ſin minus, aperiunt hoſtibus liberum aditum, & nocendi facultatem. Quid intelligitur in ſenſu myſtico per finium propugnacula? intelliguntur quinque ſenſus, eorumque cuſtodia, quæ, ſi ſollicita non ſit, proh quanto malorum agmini portam reſerat! ſenſus humani ſæpiſſime lenones ſunt; quia blandis illecebris mentem in vitium flectunt: Nuntii ſunt quia ad voluptatem invitant: raptores ſunt; quia animum ad inordinatos rerum creatarum uſus abripiunt: feneſtræ ſunt, per quas omnium ſcelerum contagio irrepit: oſtium ſunt, per quod animus clanculum evolat ad prohibitam pabulationem: denique Tyranni ſunt, quia, ſi liberiori dominio donentur, crudeliſſime in animam ſæviunt. Ajat Rex David, quantum nocumentum paſſus ſit ab oculis male cuſtoditis? in ſolario domus cytharizans vidit Bethſabæam, vidit, deperiit, & vix non periit: in turpiſſima crimina prolapſus, ingemiſcere cum Propheta potuit: *Oculus meus deprædatus eſt animam meam*. (*Thren.* 5.) Ajant Proto-Parentes noſtri, quantum nocumenti paſſi ſint ab auribus male cuſtoditis? dum infernalis nequam ingeminabat mendax illud *nequaquam*: *Nequaquam moriemini*, illi crediderunt, fructum vetitum attrectarunt, comederunt, Paradiſum perdiderunt. Ajat infelix Eſau, quid nocumenti paſſus ſit ex odoratu male cuſtodito? per veſtimentorum fragantiam, quibus forte ad oblectationem odoratus ambram, aut cinnamomum aſpergere conſuevit, ſuffuratus eſt Jacob primogenituram, & paternam Benedictionem. Ajat Noemus, quid nocumenti paſſus ſit a guſtu male cuſtodito? vino guſtoſe non minus, quam liberaliter hauſto, ebrius, turpiſſime denudatus, a filio illuſus, irriſus fuit. Ajat denique miſerrimus Samſon, quid nocumenti paſſus ſit a ſenſu tactus? voluptatis illi fuit, cum Dalila converſari, in ſinu ejus foveri, dormire; verum turpiſſime proditus, ligatus, ad molam adſtrictus, denique miſerando obitu periit.

6. Hæc tyrannis eſt quinque ſenſuum, niſi intentiſſimis excubiis muniantur, niſi dominio ſubjiciantur, niſi mortificentur. Non abſque conſilio Joſue quinque Reges ſupra quinque ſtipites ſuſpendi præcepit, (*Joſ.* 10.) nempe Adoniſedech Regem Jeruſalem, Ohan Regem Hebron, Pharam Regem Jerimoth, Japhia Regem Lachnis, & Dabir Regem Eglon; ſi enim myſticus hujus rei ſenſus requiratur; per quinque Reges ſubaudiuntur quinque ſenſus, ait Lyranus, (*hic.*) qui rationis imperio ſubjici, nec ante ſolis occaſum e patibulis deponendi, hoc eſt ante mortem e cruce abnegationis liberandi non ſunt. Et petat infernalis deceptor, ut hæc animæ munimenta, ejuſque cuſtodiam ſubvertamus? actum eſt de nobis, ſi fidem tribuimus veteratori; idemque nobis eveniet, quod vineæ deſtructa ſepe, quod urbi dirutis muris, quod domui apertis oſtiis. Quare, quod me concernit clamo, iterum, iterumque clamo, in hanc fraudulentam conditionem nulla ratione non poſſe conſentire.

### §. III. *Tertia, ut locum munitum illi concedamus.*

7. Tertia infernales pacificatoris conditio eſt, ut locum illi munitum inſtar pignoris, & arrhæ tribuamus. Quem locum munitum ille ſomniat? non ſubodoratis, Auditores? cor noſtrum poſſidere deſiderat. Quid? nobilem illam cogitationum, ſenſuumque officinam, Dei Optimi Maximi Regiam? Quid eſt Cor? juxta Cornelium a Lapide, ſi litteras ejus ſymbolice interpretari libeat, *Cor* eſt *Camera Omnipotentis Regis*. Hanc Cameram Divinus rerum omnium Pſalmator vel in ipſa hominis creatione ſingulari jure ſibi reſervavit; quippe non deſunt Auctores, qui formationem hominis e limo Angelis demandatam fuiſſe, e contra Deum plaſmationem cordium ſibi ſingulariter reſervaſſe putent juxta illud: (*Pſ.* 32.) *Qui finxit ſingillatim corda eorum*: Præterea dicite, cur forma cordis pyramidalis eſt, inferne in cuſpidem deſinens, ſuperne vero amplum, & cavoſum? certe non ex alia ratione, niſi ut ſignificet Deus, quod cor humanum parum terrena curare, eaque quaſi in puncto duntaxat attingere, e contra cælo, ac Deo pleno ſinu patere debeat. Quid multis? cor noſtrum Dei proprium eſt; hinc eſt, quod ſacer Proverbiaſtes tam ſollicite moneat: *Omni cuſtodia ſerva cor*



*cor tuum* (*Prov.* 4.) cui monito fideliter adeo morem geſſerunt ſacri illi Eremorum, & Aſceteriorum Incolæ, ut ſenex ille diſcipulum ſedulo inſtruxerit: *Eſto Janitor cordis tui, ne intret peregrinus*: & Magnus ille Joannes Abbas (*Moſcus in Prat. ſpir. c.* 110.) ſuis hoc documentum dederit: *Cordi noſtro, & cogitationibus præcipua adbibenda eſt cura; obſervandum namque eſt, neque cupiditas, neque voluntas prava, ne quod deſiderium, quod non eſt ſecundum Deum, radices in corde noſtro defigat*. (*Ruffin. in Vit. Pat. c.* 1.) Abſit igitur a nobis, & mille paraſangis abſit, ut Arcem tam pretioſam, & Dei propriam inimico tradamus: repugno, reclamo contra hanc conditionem.

### §. IV. *Quarta, ut illi liberum aditum concedamus.*

8. Quarta denique damnatæ pacis conditio eſt, ut liberum dæmoni aditum reditumque in animam concedamus. Quis non indignetur impudentis peccati? perditum eſt Regnum, cui liberum eſt cum hoſte commercium: terreni Principes inter alias politicæ regulas diligenter cavent, ne alieno exercitui, cujus potentia magna, & fides ſuſpecta eſt, tranſitum per ſua Regna concedant: & nos infenſiſſimo hoſti facilem indulgeamus aditum in animas noſtras? væ nobis, ſi conſenſum impetret! ſcitis Auditores, quid eventurum foret? id explico per eruditam parabolam, qua Ariſtoteles (*ap. Barz. ſerm.* 49. *n.* 19.) liberas civitates dehortatus eſt, ne ullius dominio ſe ſubjiciant: Equus, injuria nonnullorum animalium concitatus, vindictæ conſilium ab homine quodam petiit: ille fide ſua interpoſita, promiſit inimicos ſe caſtigaturum, modo æquus inſideri a ſe vellet: placuit equo conſilium: age igitur, mi bone, ajebat eques, ut inſideri valeas, ephippio opus eſt, ut gubernari, fræno, ut ad curſum incitari, calcaribus: tum effuſo curſu hoſtem indagare, ſternere, mactare poterimus. Ubi aſſenſum in omnibus impetravit, conſcendit equum, freno regit, calcaribus adigit; verum non ad hoſtium vindictam, ſed ad uſus ſuos in ſtabulum. Ita deceptorie agit diabolus; ſi quando dominium animæ, aditumque impetrat, tyrannica crudelitate illam poſſidet, vinculat, captivat: nunc quidem blandiſſimis promiſſionibus admiſſionem eblanditur; ſed admiſſus ſæviſſimam exercet tyrannidem, nihilque aliud, niſi ruinam, & interitum animæ quærit: O quot millenæ animæ ardent modo in inferno, quæ ſtygio impoſtori plus æquo confiderunt, ſuo cum irreparabili damno expertæ ſunt, quod illius promiſſa ſint fallaciæ, illius dona decipulæ, illius vina venena, illius voluptates miſeriæ æternæ! O Chriſtianæ animæ! ne fidite igitur deceptoriæ paci, ſi bonus vobis conſul ſum: præſtat belligerare, præſtat præliari, præſtat inter tentationes luctari: pereat ſuſpectiſſima pax, bellum te poſcimus omnes. Annuitis Auditores? ita eſt, annuimus, dicitis; ergo infernalem caduceatorem ſinite rurſus ingredi, & ego illi nomine omnium bellum denuntiabo.

9. *Epilogus*. Audi infernalis bellua! deliberavimus ſupra quaternas conditiones, tibique reſolutionem captam ſignificamus, nullam a nobis poſſe acceptari: pax tua, quam offers omni bello eſt nocentior, quia fallax, deceptoria, fraudulenta, periculoſa, ac proditoria: latrocinium quæris, non amicitiam animarum noſtrarum. Proinde tibi bellum noviter denuntiamus: freme, frende, ringere, tenta, laqueos tende, quantumcumque vis: non formidamus vires tuas, ſi Dei Gratia nobis auxilio ſit: præſtat bellum proſequi, quam tecum amicitiam inire. Amen.

Dominica I. poſt Paſcha.

## CONCEPTUS III.

De primo Remedio peccati, videlicet Timore Domini.

*Ubi erant Diſcipuli congregati propter metum Judæorum*. Joan. 20.

### EXORDIUM.

*Timor Domini eſt optimus cuſtos cordis humani.*

1. POſtquam prævaricator Adamus ex horto delicioſiſſimo fuit expulſus, Dominus Deus ante oſtium Paradiſi collocavit Cherubinum, cum ignito gladio excubantem, tum ut lignum vitæ in medio paradiſi ſitum cuſtodiret, tum ut Adamo, ſi forte regreſſum tentaret, aditum præcluderet. Dilectiſſimi Chriſtiani! non dubito corda veſtra per Paſchalem Exomologeſin in florentiſſimum virtutum paradiſum migraſſe! Non dubito, in medio cordis veſtri reperiri lignum vitæ, volo dicere, gratiam vivificantem, quam Salvator nobis ligno Crucis promeruit. Non dubito, e cordibus veſtris antiquum habitatorem, peccatum eſſe penitus eliminatum. At quoniam veſtra perſeverantia valde ſollicitum me habet, nunc certe cuperem ante oſtium cordis veſtri conſtituere Cherubinum, qui conſervandis virtutibus excubias ageret, & a peccato omnem regrediendi viam præmuniret. Quem putatis eſſe illum Cherubinum? dico, eſt Timor Domini juxta effatum S. Hieron.: (*Ep.* 127. *ad Pabiol.*) *Timor virtutum cuſtos eſt*. Quemadmodum fidelis excubitor, qui portas munitæ civitatis cuſtodit, neminem Viatorum abſque accurato examine permeare, aut remeare permittit: ita, ait Guerricus Abbas, (*ſerm.* 9. *de S. Bened.*) ſalutaris Dei timor actiones nullas, quæ in cor intrant, vel exeunt, inexploratas relinquit. Certiſſimum eſt, ubi ſanctus hic timor animam pervadit, continuo expulſa omni iniquitate, fit progreſſus de virtute in virtutem;

tem; e diverſo, ubi timor hic abeſt, dominatur effrænis vitæ licentia, & non lento gradu itur ad infernum. &c. Quid timor etiam humanus in animum valeat, exemplum hodie habemus in trepitantibus Apoſtolis: ſicut columbæ, viſo accipitre, intra columbarium ſeſe recipiunt; ita illi intra ædium parietes clauſis foribus concluduntur: quare? *propter metum Judæorum*, a quibus poſt Magiſtrum in crucem actum etiam ſe tanquam Diſcipulos eadem crudelitate interfectos iri metuebant. Ex quo argumentum duco: ſi adeo potens eſt etiam hominum timor, ut Apoſtolos, qui antea in ſynagogis, in conviviis, in plateis, in hortis, in patratis miraculis, in Pontificum atriis publice comitabantur Magiſtrum, jam in unius domus angulis meticuloſos concludat: credendum eſt utique, ſanctum timorem Domini pariter id effecturum, ut animum, quantumvis alias pravis peccatorum habitibus depravatum, intra modeſtiæ limites, & præceptorum orbitam cohibeat; cum ajat æterna Veritas Chriſtus: (*Matth.* 10.) *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam vero non poſſunt occidere, ſed potius timete eum, qui poteſt & animam, & corpus perdere in gehennam.*

*Ubi tres præcipue effectus operatur.*

2. *Propoſitio.* Dilectiſſimi Auditores! Per elapſum quadrageſimæ tempus conſideravimus gravitatem peccati: jam quoniam cogito per aliquot ſequentes Dominicas Remedia peccati præſcribere, ante omnia hodie vobis commendatum cupio Timorem Domini, quo nullum aliud eſt efficacius iniquitatis antidotum. Materiam, & diviſionem materiæ ſubminiſtrabit nobis S. Petrus Chryſologus inquiens: (*ſerm. de S. Joann. Bapt.*) *Solus Dei timor eſt, qui mentes corrigit, fugat crimina, innocentiam ſervat*, quibus verbis innuit ſalutares effectus, quos timor Dei in animo hominis operatur, tam ante-quam in- & poſt peccatum. Expendamus unum punctum poſt aliud. Favete.

§. I. *Præſervat innocentes a peccatis.*

3. *Confirmatio.* Primo igitur ſanctus Dei timor perquam ſalutaris eſt ante peccatum homini innocenti; quia *innocentiam ſervat*. Quæritis, quomodo? in quantum nempe inordinatas animi paſſiones in officio continet. Quamdiu Domina domus præſens eſt, conſtanter ancillæ, ad omnem modeſtiam compoſitæ, opus ſuum perficiunt: at, cum diſcedit Domina, tumultuoſæ, ac garrulæ in riſus, in nugas, in rixas petulanter effunduntur: Parem in modum, cum Dei timor animæ gubernaculum tenet, affectus omnes intra honeſtatis limites conquieſcunt; at cum deſierit ille, repente ſenſualitas, & inordinati concupiſcentiæ appetitus contra rationem rebellant: ſimilitudo eſt S. Laurentii Juſtiniani. (*in Lign. Vit. c. 2. de Tim. Dei*)

4. Idipſum ponderoſiſſimis verbis inculcatum nobis voluit Eccleſiaſticus, inquiens: (*c.* 27. *v.* 4.) *Si non in timore Domini tenueris te inſtanter, cito ſubvertetur domus tua.* Notatu digniſſima eſt hæc allegoria. O quanti moliminis res, quantisque laboribus opus eſt, ut de terra ſurgat ſpiritualis ſtructura! quot requiruntur actus abnegationis, obedientiæ, demiſſionis, orationis, & mortificationis! Et tamen hoc ædificium, tam operoſe extructum in momento poteſt everti: unicum peccatum lethale hoc valet; & ſi eo articulo Deus mortem immittat, actum, & æternum actum eſt. O mi Chriſtiane! quot fabricæ longe pulcriores tua in hunc modum ceciderunt! ſatis eſt cogitare ruinas alicujus Didymi, Origenis, Oſii, Tertulliani, & aliorum, de quibus dicere licet: *præcipitavit Dominus, nec pepercit, omnia ſpecioſa Jacob.* (*Tren.* 2. *v.* 2.) Cum igitur iſti ceciderunt tam magni, tam glorioſi, numquid merito de te quoque potes formidare, qui nec minimam bonorum partem feciſti, quæ iſti fecerunt? Adverte autem quam optime, hoc tamen grande periculum fundatur in eo, quod homo, quantumcumque boni præſtiterit, nunquam poſſit obſtringere Deum, ut negare non poſſit novam illam gratiam, deinceps ad perſeverandum neceſſariam: adeoque poteſt Deus abſque ulla injuria omni momento tibi ſubtrahere manum, & permittere, ut labaris: quia perſeverantia eſt donum gratuitum non ſolum quoad vitæ terminum, ſed etiam minimam ejus portionem. Quid agendum in tanto periculo? cum etiam ſanctiſſimi, ac innocentiſſimi nunquam ſint a lapſu ſecuri, quid conſilii? *In timore Domini tene te inſtanter*: inſtanter quoad modum, inſtanter quoad tempus: ſicut viator, qui capite vertiginoſo anguſtiſſimum tranſit ponticulum, fortiter manum ſtringit ſui ductoris; ita neceſſe eſt, ut homo Chriſtianus, qui a lapſu vult eſſe ſecurus, teneat timorem Dei; quia iſte ſolus moralem contra peccata præſtat ſecuritatem, dicente S. Chryſoſtomo: (*hom. 15. ad pop. ant.*) *Cum timore viventem impoſſibile eſt peccare.*

5. Atque hoc timoris remedium contra peccata efficacim ſingulariter ſibi commendatum habuere homines ſancti, & innocentes, contra quoſcumque tentationum inſultus: Caſtiſſimus Joſeph, cum ab impudica Putipharis uxore ad nefas ſollicitabatur, quo umbone repulit ſceleſtas blanditias? timore Domini: id quod luculenter indicat iis verbis: *quomodo poſſum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* (*Gen.* 39.) Innocens Suſanna, cum in horto a duobus ſenibus ad turpiſſimum facinus invitabatur, quibus armis illibatam conſervavit caſtimoniam? timore Domini: id quod ſatis inſinuat ea ſententia: *Melius eſt mihi abſque opere incidere in manus veſtras, quam peccare in conſpectu Domini.* (*Dan.* 13.) S. Arſenius, cum nullum lacrimandi finem faceret, cauſſam lacrimarum rogatus, reſpondit, Fratres mei, metuo, & nec momento ſine metu fui, ex quo Deo me conſecravi. S. Ceadda Epiſcopus in omnibus operibus noviſſimorum ſuorum memor, cum fortior procella, aut nimbus inſurgeret, vel etiam fulmina, ac tonitrua audirentur, ad Eccleſiam confugiens, ſollicite cum lacrimis orabat: cauſſam interrogatus, reponebat: Non legiſtis, *quia intonuit de cælo Dominus, & altiſſimus dedit vocem ſuam.* Movet enim aera Dominus, ut nos terribilis judicii commonefaceret, & a peccatis deterreret. Sanctus Philippus Nerius (*Menſ. Bibl. Tit. timor. Dom. diſc. 8. n. 5.*) eo tempore, quo jam erat in maxima exiſtimatione ſanctitatis, ditatus extaſibus, revelationibus, viſionibus, donis miraculorum, & prophetiæ, quando penetrabat ſecreta cordium, oracula ſummorum Pontificum, & apud omnes in ſumma veneratione degebat, haud tamen ſatis tutum ſe arbitrabatur abſque timore Domini; hinc mire ipſi diffidens ad Deum confidenter dicere ſolebat: Domine noli mihi fidere, quia ego te tradam, & prodam. O mi Chriſtiane! ſi ſerio perpenderes fragilitatem tuam, voluntatis inconſtantiam, & abyſſum judiciorum Dei, næ tu ſemper in timore, & tremore degeres. &c.

§. II. *Adducit peccatores ad pœnitentiam.*

6. Secundo, ſanctus Dei timor perquam ſalutaris eſt homini in peccato exiſtenti, quia *fugat crimina*, ait Cryſologus. Nunquam audiſtis, quid coronatus Pſaltes de cerva enuntiet. *Vox Domini præparantis cervos* (*Pſ.* 28.): Aquila legit, *parturire facit cervos.* Quid vult dicere? cerva, ſi Vatablo (*apud Pined. in Job.* 39.) credimus, præ ceteris animalibus ſubterfugit partus dolores, & fœtum jam diu generationi maturum contra naturam violenter cohibet: cum vero forte contingit horridam tempeſtatem in aere conſurgere, mugire tonitrua, micare fulmina, tum enimvero præ timore parturit. Parem in modum nonnunquam fit, ut obſtinatus peccator commiſſum ſcelus diuturno tempore in corde reſervet, non vult per Confeſſionem virus evomere, non vult ablata reſtituere, non vult occaſionem vitare; cum vero ingruit infortunium, cum ingraveſcit lethalis morbus, cum Dei punientis ſupplicia metuuntur, tum ſane ad ſeriam animi expiationem, & morum emendationem feſtinat: ideo indubitanter affirmat ſacer Proverbiaſtes: *Per timorem declinat omnis a malo.* (*Prov.* 15. *v.* 27.) Quis obſtinatior in malo, quam Imperator Mauritius? Erat avariſſimus, & ex hac ipſa avaritie Monaſteriorum, & Eccleſiarum proventus ſacrilege uſurpabat. (*S. Antonin. p. 2. cit. 21. c. 6. §. 10.*) Cumque ob tanti piaculi indignitatem a ſancto Pontifice Gregorio graviter increparetur, adeo exarſit in furias, ut errorem majori errore cumulare, atque Eccleſiam aperta hoſtilitate perſequi decreverit: factum eſt eo tempore, ut ignotus quidam Monachus, ſtrictum acinacem manu geſtans, per compita, ac fora publica civitatis frequenter curſitaret, ac clamoſa voce intrepidus promulgaret, hoc gladio Imperatorem Mauritium jugulatum iri. Et ecce! terribili quodam ſomnio, & his minis, quas tanquam Divinitus miſſas venerabatur, adeo conterritus fuit Mauritius, ut pacem Eccleſiæ dederit, Deum etiam ſupplicabundus rogarit, dignaretur ſua crimina potius in hac, quam in altera vita condignis ſuppliciis expiare. Neque quemadmodum navigantes, exorta gravi tempeſtate, merces etiam cariſſimas in mare exonerant, ita peccatores cum Dei ferientis manum expaveſcunt, pravos habitus, utut diuturna aſſuetudine inveteratos, derelinquunt.

7. Neque ſatis hoc, inquit S. Laurentius Juſtinianus (*lib. 2. de ſpir. animæ reſurg.*); non tantum derelinquunt ſua ſcelera, ſed inſuper ſalutaria concipiunt deſideria, conſilia provida, ſanctos cogitatus, affectus pios, vota caſtiſſima, ex quibus pariunt laudabilia opera virtutum. &c. Vides, quam fecundus ſit hujus ſancti timoris Domini conceptus, quamque fructuoſus exitus, per quos anima efficitur placens Deo, comendabilis proximo, & utilis ſibi. Ita S. Patriarcha. Jam progrediamur ad ultimum punctum.

§. III. *Pœnitentes confirmat in bono.*

8. Tertio denique ſanctus Dei timor eſt perquam ſalutaris homini pœnitenti poſt peccatum: quia *corrigit mentes*, id eſt expulſis pravis habitibus, animum virtutibus imbuit, hominemque in negotio ſuæ ſalutis ſollicitum, ac circumſpectum reddit, juxta illud Eccleſiaſtici: *qui timet Deum, nihil negligit.* (*c.* 7.) Non alteri magis homini infernalis tentator infeſtus eſt, quam pœnitenti, qui ejuratis paullo ante peccatis, jam ad ſeriam vitæ emendationem aſpirat, ut hanc prædam, e retibus ſuis dilapſam, recuperet, nullum non movet arietem: quid factu opus eſt? qui in cœpta boni ſemita perſeverare cupit, obarmet ſe timore Domini, & ita juxta monitum Apoſtoli cum timore, ac tremore ſalutem ſuam operetur. Cogitet frequenter ſecum ipſo, ac ſerio perpendat: O Bone Deus! Ego jam medius vivo inter cælum, & gehennam, quocumque oculos converto, ubique timoris argumenta reperio: ſi cælum intueor, ignoro, quid in arcanis Dei Judiciis de me ſcriptum ſit; forſan hæc ultima fuit Confeſſio Paſchalis: forſan, ſi iterum cado, non dabitur amplius reſurgendi gratia; &c. Quod ſi oculos ad gehennam deflecto, neſcio, an non & mihi ibi præparata ſtet ignea ſedes. Certe damnatorum ordines perluſtranti milleni occurrunt longe innocentiores, quam ego ſum. Eheu! tempus hoc velociter tranſit, finis autem nullus eſt æternitati: non diu poſt ad terribile Dei tribunal citandus ero, ubi nullæ excuſationes, nullæ appellationes valebunt: quis ſcit, an non Judex, quem remotum, atque diſtantem credo, jam ad januam ſtet, & pulſet? &c. Hæc, inquam, mi Chriſtiane, frequenter cogita,

ta, & ſtygii tentatoris inſidiæ nihil tibi nocebunt; diſerte enim promiſit Spiritus ſanctus per Eccleſiaſticum: *Timenti Dominum non occurrent mala, ſed in tentatione Deus illum conſervabit, & liberabit a malis.* (*Eccli.* 33. *v.* 1.)

9. Ignavi milites ſchedas quaſdam, & incantationes quærunt, quibus ſe invulnerabiles reddere queant, idque in militia mundi certe ignobilem, ſemineumque animum denotat: Verum in militia ſpirituali ejuſmodi amuletum invulnerabilitatis eſt timor Domini, illudque e contrario deſignat animum generoſum. Hoc amuletum inſtanter a Deo rogitabat pœnitens David, inquiens: (*Pſal.* 118. *v.* 120.) *Confige timore tuo carnes meas.* Quid vult dicere? Sanctus Baſilius Magnus (*in Pſal.* 33.) explicat a ſimili: ſicut illi, qui membra habent clavis confixa, ad actionem quamlibet immobiles, ac inutiles ſunt; ita optavit Jeſſæus Rex omnes corporis, & animi facultates ſancti timoris clavo configi, ut ad actiones, Divinis præceptis contrariantes, penitus redderetur, inhabilis, ac ineptus: configantur oculi, ne illicita aſpiciant: configantur aures, ne inhoneſta audiant; configatur lingua, ne nocitura garriat; configantur manus, ne aliena attrectent; configantur pedes, ne extra ſemitam honeſtatis exorbitent; configantur memoria, intellectus & voluntas, ne cogitent, ſapiant, aut appetant, quidquid Deo repugnat. O amuletum pretioſiſſimum! &c. &c.

10. *Epilogus.* Dilectiſſimi Chriſtiani, hoc amuletum vobis offero: utimini, fruimini: efficaciſſimum eſt contra peccata: probatum eſt: Valliſoleti in Hiſpania (*Hiſt. Soc. p.* 1. *lib.* 5. *num.* 63.) anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quinto inſtar Miraculi habebatur, quod Patres Societatis Jeſu, & inter hos Pater Faber, & Pater Araozius cum omni genere, ſexuque hominum promiſcue verſarentur innoxii, ac mira cum ſanctitatis, & caſtimoniæ nota inſignes. Non dubitavit quidam aulicorum in media aula jocari, ac ſpargere, Patres Societatis habere herbam quamdam, quæ vim haberet interimendæ libidinis. Ea vox pervenit ad aures Regis, ille miſit Joaonem de Zuniga Magiſtrum morum ad Patres inquiſiturum de herba, cui Pater Araozius reſpondit: omnino ſe habere talem herbam, quæ non modo contra libidinem, ſed etiam contra alia vitia præſentiſſimum eſſet remedium, eam autem herbam communiter vocari, *Timorem Domini.* Retulit Zuniga hoc reſponſum Regi, totaque id aula cum approbatione audiit: accipe, mi Chriſtiane hanc herbam, illam contra diabolicas tentationes conſtanter tecum defer, ſicque ego finem dicendi facio cum verbis Apoſtoli monentis (2. *Cor.* 7.): *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus, perficientes ſanctificationem in timore Dei.* Amen.

Dominica II. poſt Paſcha.

# CONCEPTUS I.

De duplici remedio, quo Paſtor divinus oviculas ſuas ad cæleſte ovile trahit, videlicet lenitate, & ſeveritate.

*Ego ſum Paſtor bonus, & cognoſco oves meas.* Joan. 10.

## EXORDIUM.

*Paſtor ovium & lenitate, & ſeveritate utitur, ita Chriſtus erga animas.*

1. IN ovium Paſtore duplicem induſtriam adverto, qua oviculas ad paſcua ducit, & reducit, videlicet lenitatem, & ſeveritatem: lenitatem indicat fiſtula paſtoralis, qua gregem omnem poſt ſe trahit, adeo accurate agnoſcunt vocem oviculæ, ut ad primum ſibilum ſequantur. Severitatem repræſentat baculus paſtoralis, quo oves refractarias percutit, & vi in ovile compellit. Hanc ob cauſſam, arbitror, Chriſtus ſe comparat Paſtori, quia duplici hoc remedio & dudum uſus eſt, & hodiedum utitur, ut animas in cæleſte ovile congreget: uſus eſt, inquam, dudum; in id quod patet in vocatione Principum Apoſtolorum: Petrum enim, in mari piſcantem, manſuetiſſima voce ad ſe traxit: *Venite poſt me* (*Matth.* 4.) Econtra Paulum vi compulit, fulmine ex equo dejecit, & quaſi violentia annutum extorſit: *Domine, quid me vis facere?* (*Act.* 9. *v.* 6.) &c. Hodiedum autem utitur eo, quod in præſentiarum.

2. *Propoſitio.* Edocebo. Videlicet Divinum animarum Paſtorem & fiſtulam adhibere, & baculum, ut animas ad ſe trahat; alias enim allicit beneficiis, alias cogit adverſitatibus: ſive autem benefaciat, ſive affligat, non alio fine facit utrumque, niſi ut nos ſalvos faciat, &c. Favete.

### §. I. *Deus multas animas demulcet ut infantulos.*

3. *Confirmatio.* Antequam tener infantulus viribus creſcere, ac corroborari incipit, a ſedula matre lacte, pulmentis, ſaccharo, & dulciariis paſcitur. Si mucidum panem, aut fruſtum bubulæ carnis puſioni porrigeret, certo certius imbecillis ſtomachus confeſtim deſtrueretur. O Divina Miſericordia! vere tu benigniſſima mater es de qua merito intelligo illud Iſaiæ: *Nunquid oblivíſci poteſt mulier infantem ſuum, ut non miſereatur filio uteri ſui? etſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliviſcar tui.* (*Iſa.* 49. *v.* 15.) Sunt animæ adeo delicati ſtomachi, & in virtute necdum ſolidæ, ut a Deo non niſi dulciter, ac manſuetiſſime haberi cupiant, horrent, nauſeant, averſantur adverſitates: Et quod magis mirandum eſt, Deus, tanquam illarum opera indigeret, cedit illarum deſideriis, benigne



gne fovet, beneficiis demulcet, felicitate cumulat: quare? quia facile prævidet, eas, ſi duriuſcule tractaret, e virtutis ſemita ad orci, ad ſcelerum tramitem deviaturas. Præ millenis aliis illud ſpectaculum Divinæ benignitatis intueamur in muliere Samaritana, (*Joan.* 4.) quæ aquam hauriebat apud fontem Jacob, ubi Chriſtus requievit. Quomodo ſe habuit Salvator mundi erga laſcivam, fornicariam, & urbis ſcandalum? manſuetiſſime, affabiliſſime: cur non erumpit in furias? cur non adulteram aperte objurgat? Ideo, prout inſinuat Cornelius a Lapide (*hic*), ut blando alloquio eam ad pœnitentiam, & ſalutem adducat. Et vero adduxit; illa enim mulier, quæ ex urbe peccatrix exierat, in urbem rediit Evangelii prædicatrix; quin immo poſtliminio, teſte Franciſco Bivario (*in comentar. chron. L. Dexter. ad annum Chriſti.* 60.), hæc ipſa Photina (id nominis erat mulieri) apud Carthaginem in Africa Evangelium Jeſu Chriſti gentibus prædicavit, ac demum eum duobus filiis Joſepho, & Victore glorioſum pro fide Martyrium ſubiit, prout Martyrologium tam Romanum, quam Græcum ad diem viceſimam Martii aperte teſtantur. Tantæ Virtutis erat benignitas Chriſti: id præſtitit beneficiis, & dulci alloquio, quod forte auſteritate non effeciſſet. &c. &c.

*Beneficia Dei ſunt voces, quibus nos vocat.*

4. Ne quæras igitur, mi Chriſtiane, cur Dominus Deus tibi integram ſanitatem per plurium annorum decurſum conſervet, poſtquam per decumanos hauſtus, & inordinatam vivendi methodum dudum meritus fuiſſes illius deſtructionem? an forte putas non poſſe Deum te morbis affligere, prout afflictus erat ille apud piſcinam triginta octo annos habens in infirmitate ſua? Ne quæras, mi Chriſtiane, cur Dominus Deus agros tuos, campos, vineas, ac oliveta a grandine, & tempeſtatibus innoxia ſervet, poſtquam quotidianis blaſphemiis, ac juramentis ſaxa, & fulmina de cælo evocaſti? an putas Deo deeſſe nubium, ac tonitruorum obſequia? Ne quæras, mi Chriſtiane, cur Dominus Deus fortunas tuas ſedulo protegat, poſtquam ſcelerata vivendi ratione dudum dignus fuiſſes, incendiis, latrociniis, rapinis depauperari? an putas, Deum irrogatas ſibi injurias ulciſci non poſſe? &c. &c. Erras, ſi ita putas: ideo enim ſolum non afflictionibus, ſed beneficiis te cumulat Deus, ut cor tuum ad ſe trahat; non enim eſt potentius vinculum trahendi corda quam beneficium. Joſephum Ægyptium exemplo adduco.

5. Ille quondam a laſciviente Domina ad nefas fuit ſollicitatus: quid egit? hæſit, obſtupuit, & contortis in cælum oculis admirandus repoſuit: *Quomodo poſſum hoc malum facere?* (*Gen.* 31.) dicere voluit: Dominus meus me conſtituit adminiſtratorem domus ſuæ pretioſa omnia, eſculenta, poculenta, cellam culinam, frumentum, vinum, oleum, & quidquid in omni re œconomica repoſitum habet, fidei meæ concredidit; quomodo ergo poſſum conſenſum dare in offenſam Domini mei? &c. En! Chriſtiana anima, Joſephus iſte pro beneficiis adeo obſtrictum ſe ſenſit, ut impoſſibile reputet offendere Dominum &c. Tu quid agis? contulit tibi Deus tot beneficia, quot momenta; & dum ſeſe offert peccati occaſio, necdum exclamas: *quomodo poſſum hoc malum facere?* Ah! per ego te amorem tui Divini Paſtoris obteſtor, ſaltem id age, offendere eum deſine eo tempore, cum tibi benefacit; dum vero benefacere tibi ceſſet, tum, mea pace, offende: parum utique homo ab homine petit, ſi ſolum tum temporis ab eo diligi poſtulat, cum actu in eum aliqua beneficia confert. At ſcias velim, Deus omni tempore, omni hora, omni momento collatis beneficiis plura, ac plura, majora, ac majora ſuperaddit: ſupra belluas igitur obbrutuiſti, ſi vel unico momento Divinum benefactorem offendas. Quod ſi nihil efficiant beneficia;

### §. II. *Deus multos afflictionibus trahit.*

6. Si fiſtulam blandientis Paſtoris contemnas, ſenties baculum ferientis. Volo dicere, utut ovicula Chriſti lenitate non trahatur, non tamen ideo acquieſcit Divinus Paſtor; ſed eam ovili ſuo aggregare ſeveritate allaborat. Davidem exemplo ſtatuo: ille gemiſcit: *Erravi, ſicut ovis, quæ periit.* (*Pſ.* 118.) Quomodo erravit? Notum eſt: in felicitate conſtitutus, ſepta honeſtatis tranſiliit. Bethſabæam adultero amore deperiit. Quid egit Dominus, ut errantem reduceret oviculam? adverſitatibus compeſcuit: proles recens nata prematuro obitu abrepta eſt: Abſolon filius contra patrem rebellia arma induit; contagioſa lues populum horrenda ſtrage funeſtavit: tum enimvero excæcatus Rex ad mentem rediit: ferientem Dei manum agnovit, exclamavitque: (*Pſal.* 118. *v.* 71.) *Bonum mihi, quia humiliaſti me.* Quare bonum? *ut diſcam juſtificationes tuas*: non eſt præſtantior Pædagogus, qui hominem in lege Dei erudiat, quam adverſitas. &c.

*Adverſitates ſunt remedia ſalutis.*

7. Mi Chriſtiane homo, quid conquereris de tribulationibus tuis? quid lamentaris? non proveniunt illæ a Deo irato, ſed amante, & benefico; remedia ſunt, quibus ad ſemitam mandatorum reduceris, a qua forſan in proſperitate exorbitaſti. Eheu! inquis, Deus mihi ademit ſanitatem: noli conqueri; dic potius. *Bonum mihi, quia humiliaſti me*: dum enim ſanitate corporis ad decumanas compotationes, ad rixas, ad infrunitam vitæ libertatem abuſus es, beneficium tibi præſtat Deus, quia per ægritudinem corporis ſanare vult ægritudinem mentis. Scis, Regem Abimelech dum amoribus exarſit erga Saram Uxorem Abrahæ, gravi

morbos fuiſſe correptum: (*Gen.* 30.) cur? Reſpondet Joſephus Judaicus, (*hic*) ut Saram non violaret. Quis ſcit, an non ſimilem finem tua illa ægritudine ſibi præfixerit Deus? &c. Eheu! lamentatus alius, mihi præmatura mors filios, aut amicos eripuit! Noli conqueri: dic potius: *Bonum mihi, quia humiliaſti me*; dum enim filius, aut amicus tibi forſan impedimentum fuit, quo minus Divinis obſequiis vacares, beneficium tibi præſtitit Deus, dum per mortem hæc impedimenta remota voluit. Scis, quid Melania egerit, conjuge, & duobus filiis orbata? S. Hieronymus, (*ap. Speranz. punct.* 41. *ex.* 22.) deſcribit: ad pedes Chriſti Crucifixi advoluta dixit: Domine, nunc expeditior tibi ſervitura ſum; quia tanto onere me liberaſti. Quis ſcit, an non velit Deus, ut ſimiliter agas? &c. Eheu! lamentatur tertius: ego crus fregi. Noli conqueri: dic potius: *Bonum mihi, quia humiliaſti me*: dum enim pedes tui frequenter te in hanc, aut illam domum, peccati occaſionem, ac dæmonis decipulam portaverint, beneficium tibi præſtitit Deus, dum occaſionis pedicas abrupit. Scis Prophetæ Balaam a jumento, cui inſidebat, pedem attritum fuiſſe? quare? quia contra voluntatem Dei perexit ad Regem Balac, ut malediceret populo electo. Quis ſcit, an non Dominus Deus per fractionem cruris impedire te velit a frequentatione illius conſortii, ubi Deus parum benedicitur? Eheu! lamentatur quartus: Ego fortunas omnes incendio, fulmine, rapina perdidi: Noli conqueri: dic potius: *Bonum mihi, quia humiliaſti me*: cum enim facilius camelus per foramen acus, quam dives per cæli portam tranſiturus ſit, beneficium tibi præſtitit Deus, quod remota ſarcina, expeditiorem te fecerit ad cæli ingreſſum: ſcis, quod Rebecca omnem moverit lapidem, ut filium Eſau paterna Hereditate excluderet: cur? cauſſam dat S. Ambroſius; (*apud Barz. ſer.* 33. *n.* 39.) quia divitiis in ſuam perniciem abuſurum prævidit. Quis ſcit, an non idemmet de te præviderit Deus? &c. Eheu! deplorat quintus, ego a multo tempore febri, pleuritide, dolore capitis, aut ſtomachi laboro. Noli conqueri: dic potius: *Bonum mihi, quia humiliaſti me*; cum enim in offenſa valetudo contra concepta multoties propoſita infrunitam vitæ libertatem tibi perſuaſerit, beneficium tibi confert Deus, quod ejuſmodi infirmitatibus te ad vitæ melioris orbitam reducere ſatagat. Scis, quod S. Auguſtinus (*l.* 1. *Conf.* 11. *& l.* 5. *c.* 9.) acutiſſimis ſtomachi doloribus fuerit afflictatus: cur? quia ſancta propoſita eluctandi ex hæretica pravitate, & ſuſcipiendi baptiſmum de die, in diem diſtulit: quem ſecunda valetudo retinuit, hunc infirma ad Deum adduxit. Quis ſcit, an non æque Deo nonnulla propoſita, aut vota debeas, quæ ille per ejuſmodi dolorum moleſtias vult extorquere? &c. Prolixior eſſe poſſem in explicandis id genus afflictionibus, quibus Dominus Deus ſalutis noſtræ negotium mirum quantum promovet: ſed abrumpo,

8. *Epilogus*. Contentus in hodiernæ diſſertationis coronidem adduxiſſe verba Sancti Gregorii: (*apud Speranz. punct.* 68.) *vocat nos aliquando Dominus per mundi proſpera, aliquando per adverſa*. Illi ergo, qui per proſpera vocantur, imitentur canalem aquatilem, qui tanto altius aquam verſus cælum attollit, quanto impletur uberius. Illi autem, qui vocantur per adverſa, imitentur olivam, quæ quanto cumulatius verberibus affligitur, tanto fecundius fructiferat. Utrique autem tam illi, quam iſti, credant ſe Divini Paſtoris oviculas eſſe, quarum illas fiſtula, id eſt, beneficiis, iſta baculo, id eſt tribulationibus ſatagit in cæleſte ovile congregare. Amen.

Dominica II. poſt Paſcha.

## CONCEPTUS II.

Afferuntur rationes, propter quas Dominus Deus homini ſuam prædeſtinationem occultet.

*Cognoſco meas, & cognoſcunt me meæ*. Joan. 10.

### EXORDIUM.

*Homo non conqueratur de ſalutis incertitudine.*

1. SAncta Virgo Mechtildis, cum ex hodierno Evangelio Divini Paſtoris amorem, & dilectæ oviculæ proprietates meditabatur, inſolito devotionis ardore ſuccenſa, inter lacrimas, & ſuſpiria in hæc verba erupit: O mi Jeſu, egone quoque ſum e numero tuarum oviculàrum, quæ vocem tuam audiunt, & olim in cæleſtis gloriæ ovile congregabuntur? Cum ecce Chriſtus, quem e cruce pendulum ante ſe habebat, articulata voce ſolatus eſt anxiam. Filia mea! ne dubita, es ex numero mearum oviculorum, & ut omne tibi dubium eximam, en condono tibi cor meum in pignus, & arram tuæ ſalutis. &c. Quid vos ad hæc, Dilectiſſimi Auditores? ſentio, quæ mens vos habeat: gratulamini quidem feliciſſimæ Virgini, ſed non ſine ſancta quadam invidia; quia eamdem habere de beatitudine ſecuritatem, & tam nobili pignore ad ſalutis certitudinem ſubarrhari deſideratis. Heu! quanta hæc eſt conſternationis materies, ingemiſcit nonnemo, quod inter cælum, & infernum medius vivam, nec ubi æternum futurus ſim, reſciam? hæc incertitudo Sancto Ludovico Beltramo amariſſimas expreſſit lacrimas: & non exprimat & mihi, dum quidem opera pia frequento, adverſitates millenas perfero, & tamen utrum ſalvandus ſim, ignoro? ergone Divina Prædeſtinatio ita *poſuit tenebras latibulum ſuum* (*Pſ.* 17.) ergone ita *nubes & caligo in circuitu ejus*, (*Pſal.* 96.) ut neſciam amore, an odio dignus ſim? quemadmodum Moyſes inter caliginoſam montis fumantis nebulam aſcendere debuit: *Ingreſſuſque medium nebulæ aſcendit in montem*, (*Exod.* 24.) ita & ego



& ego eheu! inter tenebras inambulo, quid mihi eventurum ſit, incertus. O cælum mene aliquando inquilinum, O inferne, mene aliquando titionem habebis? Verum, ad quid hæc lamenta, mi Chriſtiane? ſi expediret magis nos ſalutis eſſe ſecuros, certe de hac ſecuritate indubitanter nos Deus certificaſſet, ait Novarinus: (*ap. Parz. ſerm.* 32. *n.* 2.) cur non certificavit? quia non expedit:

*Quia hæc incertitudo nobis prodeſt.*

1. *Propoſitio*. Proinde, ut hanc anxietatem, quæ ſane haud paucorum eſt, tibi eximam, adducam hodie nonnullas rationes, propter quas Dominus Deus prædeſtinationem noſtram occultat, noſque in ſalutis incertitudine verſari velit. Multa noſſe deſideramus, quæ tamen noſſe non expedit, ſaltem loquendo univerſaliter. Oſculemur Dei Providiſſimi manum, ejuſque judicia demiſſiſſima humilitate adoremus. Favete.

§. I. *Primo, ut in humilitate conſervemur.*

3. *Confirmatio*. Prima ratio, cur homini occultetur ſua prædeſtinatio, eſt, ne ſuperbire, ſeque ſupra alios efferre incipiat: qui ſalutis ſuæ ſecurus eſt, nonne ſuperciliose ſibi de ſua felicitate applaudere, alioſque, qui in ſalutis incertitudine verſantur, deſpicatui habere poſſet? certitudo ingentis boni extollit animum, nec facile fieri poſſet, ut hominem elatum, tumentem, & præſumptuoſum redderet: conſulamus Scripturam! Patriarcha Jacob, (*Gen.* 31.) poſtquam in domo Labani plurium annorum ſervitia abſolvit, tandem, impetrata in patriam redeundi licentia, una cum ſponſa Rachele, cum famulis, ancillis, & gregibus in viam ſe contulit. jam multum itineris confecerat, cum ecce Labanum; a tergo inſequentem habuit, clamantem, & ejulantem: ſubſtitit Jacob, obſtupuit, & quid rerum ſibi vellet interrogavit: cui auſtero vultu, ac voce Labanus: *cur furatus es Deos meos?* cur penates, ac idola furto abſtuliſti? exhorruit Jacob ad impactum ſcelus, & leniſſimis verbis ferocientem mollire, culpam a ſe amoliri, & recalas omnes prævestigare contendit. Cum perſcrutatis impedimentis omnibus, *non invenit*, ecce Jacob jam totus alius contra ſocerum excanduit, *tumenſque cum jurgio* aſperrimis verbis injuriam illi exprobrare cœpit. Quæro jam, unde fit, quod Jacob nunc inſolito intumeſcat, qui paullo ante humillimus, ac manſuetiſſimus fuit? rationem dat Doctiſſimus Oleaſter: antea ignorabat Jacob, an non idola Labani vel caſu, vel malitia unius e ſuis domeſticis inter res ſuas fuerint abſcondita, atque hæc incertitudo eum humilem, manſuetum, ac pavidum fecit: poſtquam autem de ſua, & ſuorum innocentia certior redditus eſt, ſepoſita omni reverentia, ac humilitate, in faſtuoſa verba contra ſocerum erupit. Audiamus verba Oleaſtri: (*Gen.* 31.) *Quamdiu timuit, ne forte ſocer eſſet idola inventurus, tacuit: poſtquam vero non invenit, audax factus eſt*. En Chriſtiana anima! quam pathetice certitudo animum inflet: ſi beatitudinis certus fores, indubitanter omnia pia monita, conſilia, ipſumque Dei Verbum luſui haberes, identidem obganiens illud: quid iſta ad me, cum ſalutis ſecurus ſim? quapropter voluit te Deus in incertitudine fluctuari: ut animum tuum tum in humilitate, tum in amore proximi radicaret: in humilitate quidem, quia inter ſalutem, & interitum in bivio hæres: in amore proximi autem; quia neſcis, an non ille ad cæleſtem gloriam evehendus ſit, a qua tu, forſan æternum futurus es exſul, & extorris; &c.

§. II. *Secundo, vigilanter ſolliciti ſimus in ſalutis negotio.*

4. Altera ratio, cur homini occultetur ſua prædeſtinatio, eſt, ne in ſalutis negotio deſes, ac negligens fiat; nam *Mater negligentiæ ſolet eſſe ſecuritas*, ait S. Gregorius (*l.* 9. *Ep.* 22.) Cum Dominus Deus Proto parentes noſtros in paradiſo collocavit, ſeveriſſime illis arborem ſcientiæ boni, & mali interdixit, minas etiam addidit: *In quacumque die comederis, morte morieris*. (*Gen.* 2.) Nihilominus Eva, a ſerpente decepta, auſa eſt fructum vetitum attrectare: Non miror; quia feminea levitate deliquit. Verum qui fieri potuit, ut etiam Adamus, qui Divini præcepti recentem habebat memoriam, culpæque gravitatem pro virili capacitate melius expendere poterat, prohibitum pomum guſtaret? an inductus fuit perſuaſionibus Evæ? non puto: ſed rei ſeriem ita eveniſſe cenſeo: Adamus, ubi Evam comedentem vidit, tantiſper ſubſtitit, eamque indubitanter poſt deglutitum bolum repentina morte humi collapſuram credidit: cum nihil ſimile evenit, ita ſecum argumentari cœpit: Ecce Eva comedit pomum vetitum, nec tamen moritur: ergo & ego comedens, non obſtantibus Dei minis, a morte ſecurus ero: hac imaginatione concepta, jam non formidoloſe ad vetitas fruges manum extendit, comedit, peccavit. Ita hunc locum annotat S. Auguſtinus, inquiens: (*l.* 11. *de Gen. ad litt. c.* 30.) *Ne ſuaderi jam opus erat viro, quando illam ex cibo mortuam non eſſe cernebat*. Ecce, mi Chriſtiane, impunitas, & (licet tantum imaginaria) ſecuritas Adamum audaciorem, & Divinæ Legis neglectorem fecit; quid putas fieret, ſi tu ex Dei promiſſo contra mortem æternam ſecurus fores? profecto præceptorum Dei negligentiſſimus, ad patranda peccata audaciſſimus, & a Dei timore prorſus alienus exiſteres, ad ſalutaria monita ſine fine recoqueres crudum illud: quid opus eſt ſollicitudine, ac cautela? ſalutis certus ſum &c. Præſtat itaque ſalutis ignarum, quam negligentem eſſe: atque hoc eſt, quod Sanctus Gregorius ſorori ſuæ Gregoriæ in reſponſis dedit: rogabat illa fratrem ſanctiſſimum,

mum, ut ſibi ſuæ beatitudinis revelationem a Deo impetraret, cui Gregorius repoſuit: Rem difficilem, & inutilem poſtulas; difficilem; quia ego indignus ſum, cui talis revelationis gratia exhibeatur: inutilem; quia ea ſcientia non ad majorem ſpiritus fervorem, ſed ad remiſſionem, ac deſidiam tibi conducet. Benigniſſimus Deus vult nos velut infantes bene moratos gubernare: quid agitur cum teneris prolibus, ut ad ſedulitatem in litteris excitentur? ex una parte ante oculos illis ſtatuuntur virgæ, & altera parte dulciaria, & bellaria ſaccharata: ita Deus agit, quotidie nobis cælum & gehennam digito oſtendit, illud, ut amore, iſtam, ut timore ad virtutis exercitium exſtimulemur. Conſideremus tantum, quam petulanter agat immoriger filiolus, ſi pater virgas e feneſtra amoveat: ita & nos infrunitam vitæ licentiam amplexaturi eſſemus, ſi metus gehennæ abeſſet. Unde Devotiſſimus Spiritus Magiſter Leſſius dicere ſolebat: ſe vehementer gaudere, quod infernus eſſet: quare? ut ſi cæleſtium præmiorum amor forte intepuiſſet, tunc infernalium pœnarum timore poſſet ad Dei ſervitium animari.

5. Hic incidenter convellere debeo non nullos naſutulos, qui pro curta ſua ingenii ſupellectile nonnumquam pipire audiuntur intricatum illud, ut putant, & Calvinianum argumentum. Vel ſum a Deo prædeſtinatus ad cælum, vel præſcitus ad infernum: ſi ad cælum, nil mihi nocebit, quidquid mali: ſi ad infernum, nil mihi proderit, quidquid boni operer: mi argutule, deſine fatigare cerebellum tuum, illudque ad ſtivas, & aratra converte: quod ſupra te, nihil ad te: interim certus eſto, ſi præviſus es ad cælum, præviſa etiam eſſe tua merita, dependenter a quibus ſalvari debes: ſi præviſus es ad infernum, præviſa etiam eſſe tua demerita, ob quæ damnari debes: utraque autem tam merita, quam demerita eſſe in tua libera poteſtate. Narrat Cæſarius (*l. 1. hiſt. c. 27.*), Ludovicum Landgravium propter deploratam vitæ licentiam a Viris Religioſis non ſemel correptum, ut reſipiſceret, illud ſemper retorſiſſe: ſi prædeſtinatus ſum, nulla peccata poterunt mihi regnum cælorum auferre: ſi reprobus nulla bona opera conferre. Subinde in lèthalem morbum incidit, vocatur Medicus, qui, ut erat Vir prudens, ajebat fruſtra ſe eſſe vocatum: ſi enim venit dies mortis tuæ, non poterit te cura mea eripere; ſi vero moriturus non es, ſuperflua erit medicina. Hac retorſione æger ſapere dicit, & argumenti deceptionem, ac animæ periculum agnovit. O ſi ad nullam rem, quam Deus prævidit, prudenter adhiberentur humana remedia, ad nullam denique rem poſſent adhiberi, quia Deus prævidit omnia.

§. III. *Tertio, ut ex puro Dei amore virtutem ſectemur.*

6. Tertia demum ratio, cur homini occultetur ſua prædeſtinatio, eſt, ne Domino Deo ſolum intuitu æternæ mercedis, ſed etiam amore Dei propter ſeipſum ſerviamus: id quod ſingulariter ad augmentum meritorum noſtrorum conducit. Operari bonum ex ſpe cæleſtis præmii non quidem illaudabile eſt: nihilominus ſicut Deus nos puriſſimo amore abſque ſuo commodo dilexit, ita etiam a nobis viciſſim puriſſime, & abſque intereſſato, ut ita dicam, mercedis reſpectu cupit amari. Apud eum autem, qui æternæ retributionis eſſet ſecurus, qui fieri poſset, ut hoc præmiorum allicium non in omnia ejus opera influeret? Cum duo Filii Zebedæi primas in regno Chriſti ſedes affectarent, ſeque ad bibendum paſſionis calicem in hunc finem paratos affirmarent, inexſpectatum illis Mundi Salvator reſponſum retulit: (*Matth. 20.*) *Calicem quidem meum bibetis, ſedere autem ad dextram meam, vel ſiniſtram non eſt meum dare vobis.* Quid hoc, Benigniſſime Domine, non eſt tuum hoc dare? quid ſentiet de te blaſphemus Arius, ſi te hac poteſtate carere ex proprio teſtimonio audiet? S. Ambroſius (*l. 5. de Fide c. 2.*) opinatur, voluiſse Dominum ſuam poteſtatem quodammodo diſſimulare, ut Diſcipulorum dilectionem tanto vehementius inflammaret: *Bonus Dominus, qui maluit aliquid diſſimulare de jure, quam de caritate deponere.* Quæritis, quomodo hæc res intelligenda veniat? percipite: Duo Diſcipuli poſtulant primas ſedes, & ſe viciſſim ad calicem paſſionis offerebant, Chriſtus in calicem paſſionis quidem conſentit, primas ſedes autem eis denegat, ut, cum illi gloriam obtentu impoſſibilem crederent, non illius intuitu paſſionem ſubirent: occultat eis retributionis mercedem, ut tanto generoſiores in exantlanda morte, ac martyrio non præmium, ſed ſolum puriſsimum Dei amorem reſpicerent. Hæc eſt, Dilectiſsimi, perfectiſsima Dei dilectio, quæ propter ſe ipſum, non propter compenſationem diligitur, atque hanc, ut a nobis extorqueat, prædeſtinationem occultat. *Deus non amatur ſine præmio*, ait Bernardus, (*de Dilig. Deo.*) *non tamen debet amari pro præmio.*

7. Cuidam ſeni apparuit infernalis Sycophanta transfiguratus in Angelum lucis, dixitque ſe miſsum, ut ſecretorum Dei eum redderet conſcium: (*Hort. Paſt. tract. de Char. ſect. 2.*) noveris ergo, inquit, fratrem juniorem, qui tecum verſatur, eſse e numero reproborum, atque in vanum bonis operibus inſudare. Senex ab ea hora, quoties diſcipulum aſpiciebat, cœpit amare flere: inquirit multoties junior, urgetque lacrimarum cauſsam, cui tandem importunitate victus ſenior rem omnem aperuit: at ille fortis Dei amator nihil turbatus retulit: Deus, quod in oculis ejus beneplacitum eſt, impleat; ego non ſervio ei propter regnum cælorum, ſed propter bonitatem ſuam, amoremque, quem erga me morte, ac paſsione ſua teſtatum reliquit. Hæc dilectionis generoſitas adeo placuit Deo, ut ſequenti nocte miſerit Angelum verum ſeniori, eique Sathanæ

næ fraude detecta, revelarit, juniorem illum ex conſtantia amoris plus meriti ſibi ea die comparaſſe, quam reliquis diebus vitæ ſuæ. &c. &c.



8. *Epilogus.* Age, mi Chriſtiane! Diligamus Deum Optimum Maximum, omneſque corporis, & animæ vires ad ejus beneplacitum conferamus, quidquid de cetero in poſterum futurum ſit. Si ſalvemur, æternum ambimus Deum: ſi damnemur, ſaltem nunc amemus; quia dignus eſt etiam a damnatis amari. Si ajas, te longe ardentius amaturum, ſiquidem de tua tibi ſalute conſtaret, quæro, quid ergo tunc facturus eſses? Ponamus, quod hoc momento in hac Eccleſia Angelus a Deo miſsus compareat, qui nos omnes quotquot præſentes adſumus, prædeſtinatorum catalogo inſcriptos teſtaretur; quid tunc rerum ageres? O! inquis, tunc diu noctuque orarem, meditarer, bona opera præſtarem, Bonitatem Dei cum magna Spiritus exultatione benedicerem: Quod ergo tunc facturus eſses, jam modo fac, haud ſecus, ac ſi felix ejuſmodi nuntius jam comparuiſset, & hac vitæ methodo, prædeſtinationem tuam ne dubita, reddes ſecuram. Amen.

Dominica II. poſt Paſcha.

## CONCEPTUS III.

De ſecundo peccati Remedio pœnitentibus ſummopere neceſsario, videlicet fuga malæ occaſionis.

*Et lupus rapit, & diſpergit oves.* Joann. 10.

### EXORDIUM.

*Sicut oviculæ interituræ forent, ſi cum lupo colluderent, ita multi in peccata labuntur, quia occaſiones non declinant.*

1. COgitanti mihi, quæ cauſsa ſubſit, quod non obſtante Divini Paſtoris ſollicitudine non obſtantibus millenis ſalutis remediis, nihilominus innumerabiles oviculæ infernali lupo in prædam cedant, plane inter alias rationes fere præcipua eſse videtur, quia quaquaverſum evagantes, & improvidæ nimis oviculæ pereundi pericula haud ſatis reformidant; ſi caute ſe intra ovile concluderent, & locum omnem, quo a paſtore longius recedent, ſuſpectum haberent, utique ſuæ ſecuritati melius conſulerent; at quoniam licentioſius, quam par eſt, palantur, paſcuorum ſepta tranſiliunt, & loca, ubi aliæque frequenter interierunt, adire non verentur: quid mirum, quod in lupi incidant lanienam? Dilectiſsimi Auditores! quid per hunc prologum vobis inſinuatum cupiam, haud difficile eſt animadvertere. Nimirum tot peccatorum, quæ in orbe invaleſcunt, fons, & ſcaturigo maxima eſt, quod occaſiones non fugiantur: occaſio glacies eſt, qua juſti ad lapſum inducuntur; viſcus eſt, quo peccatores ſuis voluptatibus agglutinantur; pedica eſt, qua pœnitentes e ſcelerum veterno elabi deſiderantes, retrahuntur. Proinde mirari haud ſatis poſsum præpoſteram multorum pœnitentium converſionem, qui dum jubentur peccata fugere, promptos ſe, paratoſque exhibent; dum vero de fugiendis occaſionibus monentur, id facere tergiverſantur, & mille excuſationes prætexunt: dicunt, non eſse amplius periculum lapſus, non poſse ſe valedicere familiaritate circa honoris diſpendium, eſse nimis difficile exire ſervitio, & quæ ſunt ſimilia. Mi Chriſtiane! an ſerio averſaris peccatum? ſerio: inquis: quemadmodum ergo ita oportet averſari peccatum, ut paratus ſis potius quodcumque ſubire incommodum, quam contra Deum derelinquere; ita parem in modum averſari oportet occaſionem, ut paratus ſis potius quodvis tolerare malum, quam in occaſione perſiſtere. Samſonem intuere: cum in urbem Thamnata itineraret, juxta vineas oppidi obvium habuit terribilem leonem. (*Judic. 14.*) Quid ageret? fugeret in vineas? at ſic in periculum deveniret, ne contra legem Nazaræorum guſtaret vinum, & peccaret. Non fugeret? at ſic de morte periclitabatur, quam ſibi intentabat minax bellua. Generoſus athleta decrevit cum leone in pugnam congredi, & potius vitæ, quam peccati ſubire diſcrimen; ait Serrarius: (*in Judic. 14. q. 12. n. 11.*) *Sobrietate ſua leonem ad vineas ipſas corripuit, confecit, ac diſſipavit:* Sic, ſic fugiendæ occaſiones: &c.

2. *Propoſitio.* Quapropter, cum ante octiduum de primo peccati remedio egimus, videlicet de timore Domini, jam de altero agemus, nimirum de fuga occaſionis, quam quidem ad ſeriam hominis converſionem adeo neceſsariam eſse pronuntio, ut pænitentiam, quæ poſt ſe non trahit fugam occaſionis, prorſus ſpuriam, & inferno, quam cælo digniorem eſſe arbitrer. Favete.

*Eva peccatum ex occaſione ortum traxit.*

3. *Confirmatio.* Adeo pernitioſum peccati fomentum eſt occaſio, ut aſseverare non dubitet, etiam primum peccatum, in paradiſo, ad perniciem totius humani generis commiſſum, fuiſse genitum obſtetricante occaſione. Eva a latere mariti ſe incaute proripiens feminea curioſitate perambulabat hortum delicioſiſſimum, ibi avido obtutu contemplabatur viridia prata, proceras arbores, argenteos rivulorum ſtrepitus, dulces volucrum concentus, aliaque viſu oblectabilia. Vidit infernalis ſerpens ſolam, & Viri præſidio deſtitutam, ſicque occaſionem nactus eſt periculoſi illius colloquii, quo Evam miſerrime in peccatum induxit. *Mulierem ſeparatam, & a Viro ſuo procul remotam invaſit, & decepit ſerpens*, ait S. Ambroſius, (*l. 10. in Hexam.*) O femina incauta, fuge: haud bene convertit inter te, & hoc animal; decipieris, ſub diſcurſu ſerpentis laqueus latet, redi ad maritum, ſine illius arbitrio nihil colloque-

loquere: Actum ago. Eva familiariter agit cum colubro, deluditur, & maritum una cum nobis omnibus in ruinam præcipitat, &c. Diſcant, concludit hic Lippomanus: diſcant inſolentiores feminæ ad exemplum primæ Matris multiloquium cum exteris cavere, diſcant inuſitatos aliorum affatus formidare; diſcant declinare ſoliloquia; quæ ſine majorum ſcitu miſcentur: latet anguis in herba, aperitur via innumeris malis.

*Etiam negatio Petri ex occaſione facta.*

4. Neque ſolum hæc regula debilibus feminis, ſed & viris notanda; Petrus in horto Gethſemani, cum inter nocturnas tenebras ſubito micare faces, & arma conſpexit, ſine mora excuſſo ſopore contra illam nebulonum fæcem animoſus conſurrexit, gladium evaginavit, invaſit, percuſſit, & niſi a Magiſtro fuiſſet cohibitus, certe novus Samſon inter Philiſtæos comparuiſſet. Verum intueamur Petrum in atrio Pontificis; *ibi acceſſit ad eum una ancilla,* (*Matth. 26.*) dicens male tibi ſit, Calve, quia & tu unus es ex affeclis hujus captivi: quid Petrus? negavit, & pernegavit: repetente illa aſſertum, repetiit & negationem; inſtante illa, cœpit jurare, & pejerare. Hem Petre! quid hoc rei? tu, qui antea adeo generoſus catervam lictorum non expaviſti, jam non ſuſtines aſſultum unius feminæ inermis? O periculoſam vim malæ occaſionis! Petrus, ſi a turpiſſimo caſu voluiſſet eſſe immunis, debuiſſet fugere nefariam hominum fæcem, & alloquium feminæ; at quoniam non fugit, miſerrime cecidit, dicente Auguſtino: (*ſerm. 114.*) *Petrus labia puellæ non ſuſtinuit; ſed ubi locuta eſt, ille turbatur, proceſſit ſermo puellæ, & immobilis columna concuſſa eſt.* Vos vero, Dilecti Chriſtiani, perpendite obſecro: ſi Petrus proſternitur in materia fidei ex eo, quod inconſiderate loquatur cum una puella, quid non fiet in materia carnis illi, qui reſpectu Petri eſt unum folium? ſi Petrus commovetur ad coruſcationem labii unius puellæ, quæ tamen ex culina veniebat mucida, fumida, fuliginoſa, non niſi ollas, & caminum olens, quomodo debilitas illius juvenis ſtare poterit ad blanditias illius adoleſcentulæ comptæ, ornatæ, adulantis, conſaltantis, combibentis? O S. Petre! inſtilla in animos incautorum juvenum hos ſenſus, ut diſcant argumentari a majori ad minus.

5. Poetæ finxerunt, Venerem fuiſſe natam ex aquis. Itane ex frigido elemento? ita eſt: & noſtri juvenes non volunt credere, Venerem etiam naſci poſſe ex vino, & cereviſia. Sanctus Gentium Doctor ſollicite monuit Diſcipulum ſuum Timotheum, *teipſum caſtum cuſtodi.* (*1. Tim. 5.*) Quid ais S. Paule? ergone Timotheo, Epiſcopo Sanctiſſimo, qui ob auſteram abſtinentiam, inediam, & aquæ potum graviter infirmatur, cuſtodiam caſtitatis inculcas? &c. O Bone Deus! quomodo ergo illi juvenes ſecuros ſe eſſe præſumant, qui toto anno bibunt, epulantur, & ingerunt? tota die ligna, & quidem arida igni ſubminiſtrant, eumque accendunt follibus vanorum diſcurſuum, jocorum, ac cantuum parum honeſtorum, & tamen prætendunt ſe vitam vivere caſtam, toti deliciis inhiant, non oculos, non aures, non linguam honeſtatis fræno coercent, aſpectus, & tactus non curant, occaſionibus ſe pro libitu exponunt, & tamen volunt eſſe ſecuri a lapſu: cecidit fortis Samſon; cecidit pius David; cecidit ſapiens Salomon; & tamen illi debiles, imperfecti, ac ignorantes volunt ſuper glaciem currere, nec tamen cadere. Eheu! hallucinantur. Patriarcha Loth adeo fuit ſanctus, & caſtus, ut meruerit, a duobus Angelis ex incendio Sodomorum eripi: & tamen cum in caverna montis Segor una cum filiabus lateret: Ah! loquar an ſileam? loquar ad terrorem noſtrum: ille, inquam, homo juſtus totus nivoſus in corde, glaciatus in ſanguine, lapideus in medullis, exhauſtus, debilitatus, paralyticus, lapſus eſt in inceſtum cum filiabus: quis non obſtupeſcat exclamat Oleaſter, (*in Moral.*) *quod fuerit ab incendio liberatus, & non ab inceſtu.* Si juſtus cecidit in ſpelunca, in honore, in metu, quomodo Chriſtiani ſecuros ſe fore ſperent a lapſu in choreis, in epulis, in muſica, in aurium, & oculorum oblectamentis? falluntur, falluntur: turpiter prolabentur in peccatum, niſi occaſiones declinent.

*Si juſtus in occaſione ſecurus non eſt, peccatori quid fiet? Pænitentia ſeria deſumitur ex fuga occaſionis.*

6. Quod ſi juſtus erret vehementer, exponens ſe periculo peccati, non minus errabit peccator, credens ſe exiturum a peccatis, quamvis ſe non expediat occaſione peccati; non enim eſt luculentius indicium ſeriæ emendationis, quam fuga occaſionis. Inter omnes Reges Juda, qui a Salomone regnarunt, nullus in Scripturis excellentius præconium promeruit, quam Joſias: de illo dicitur, quod *in toto corde ſuo, & in tota anima ſua, & in omni virtute ſua reverſus ſit ad Dominum.* (*1. Reg. 23.*) Quæro, quo indicio prodidit tam efficacem pœnitentiam ac converſionem? nimirum ex eo, quia *Pythones, & ariolos, & figuras idolorum, & immunditias, & abominationes abſtulit.* O mei Chriſtiani! nolite mihi perſuadere, quod ille Pater-familias non amplius adoret ſuam Venerem, cui tamen victum, veſtitum, ac dona tribuit, & needum, prout promiſerat, e domo ejecit. Eſt falſum: needum deſtruxit altare, brevi redibit ad ſacrificium turpe. Nolite mihi perſuadere, quod ille juvenis ſerio ſe emendarit, qui adhuc vadit in illam plateam, frequentat illam domum, ac feminæ illi reſpondet litteris, ac nutibus: eſt falſum: needum deſtruxit altare. &c. Nolite mihi perſuadere, quod illa puella ſerio abjurarit ſcelera, quæ tamen retinet munuſcula, ectypa, litteras, eaſque nonnunquam haud

ſine



ſine animi teneritudine relegit: eſt falſum: impudica pellex eſt, Veneris idololatra eſt, needum deſtruxit altare. &c.

*Dæmon non curat Confeſſiones, ſed fugam occaſionis.*

7. Quid dicitis, mei Chriſtiani! de extincto domus incendio, cum cernitis adhuc fumum in altum evolare? dicitis, needum omnem ignem eſſe ſopitum, gliſcere adhuc ſub favilla fomitem, brevi, niſi præveniatur, in novas flammas erupturum. Ita res ſe habet in præſenti. Ille Dominus confeſſus, & inimico ſuo reconciliatus eſt: Laudetur Deus; verum an eum ſalutat? non ſalutat, ſed tamen ignovit: Fumus eſt: ignis iræ mox reaccendetur: ille luſor confeſſus, & ſancte pollicitus eſt, ſe a blaſphemiis linguam cohibiturum: Laudetur Deus: verum an abſtinet jam a chartifoliis, ab aleis? non abſtinet, ſed tamen non amplius blaſphemabit: Fumus eſt: videbimus ignem brevi reaccenſum. Ille juvenis confeſſus, & ſuas libidines ſerio deteſtatus eſt: Laudetur Deus. Verum an noctu non amplius evagatur, an ædes amaſiæ devitat? non devitat quidem, ſed non amplius cadet: Fumus eſt: paullo poſt atrocius exardeſcet ignis: ita diſcurrendum eſt de aliis quibuſque vitiis, de quibus indiſcriminatim enuntiat Cyprianus: (*lib. 1. Epiſt. 11.*) *Nemo diu tutus eſt periculo proximus.* &c. &c. O miſeri peccatores! quis palpum vobis obtrudit, quod de Confeſſionibus veſtris vobis blandiamini, & per eas ſalva omnia eſſe credatis? Diabolus haud multum negotii ſibi faceſſit, ut impediat veſtras Confeſſiones: non cauſæ ſuæ metuit, ut vos cernat coram conſcientiæ arbitro genuflexos; ſed tunc expaveſcit, ſi videat familiaritates abrumpi, chartifolia lacerati, litteras amatorias in ignem conjici. Rex Pharao nunquam deſperavit de Domino Iſraelitarum, quamdiu illi remanſerunt in Ægypto; verum cum fugere eos conſpexit, tunc armata manu fugientes inſecutus eſt, tunc lapidem omnem movit, ut fugitivos ſub ditione conſervaret. Parem in modum haud male habet dæmonem, cum videt illam puellam in paſchate confiteri, dummodo interim maneat in Ægypto malæ occaſionis; ſed cum videt, quod illa amaſio januam in faciem occludat, turpes cantilenas concremet, munuſcula remittat, tunc enimvero maxime affligitur. Diabolus non curat, quod ille procus in paſchate confiteatur, ſed cum videt, quod illam plateam non amplius adeat, videt alloquia, ſalutationes, choreas, & conventicula, hoc ipſum ſumme angit. &c. Obmurmurabit hic nonnemo, quo jure ego auſim contemnere illas Confeſſiones, quæ tamen, ut ajunt, cum magna devotione ſunt peractæ, etiamſi poſtea redeatur ad antiquam ſylvam. Reſpondeo, jure optimo: dico cordate, nec hilum valeat, ſacrilegæ ſunt, melius fuiſſent omiſſæ, quam peractæ; quia cedunt potius ad damnationem, quam ad ſalutem confitentium, niſi ex occaſionibus exeatur. Dic, mi bone, nonne quod furatus es, tuum non eſt, & nulla eſt penes te rei illius poſſeſſio? ita eſt; verum ſcias velim, furatus es ſacram abſolutionem, quam per pigrum *ita* vel *non* a Confeſſario fuiſti abblanditus; tua igitur non eſt abſolutio, invalida eſt illius conſecutio: id quod longe magis intellectum volo de iis, qui de induſtria quærunt Confeſſarium indoctum, aut indiſcrete manſuetum, qui inſtar muti canis latrare non audet: ſimul Confitens, & Confeſſarius peribunt; iſte quidem, quia ſanctum projicit canibus; ille vero, quia Sacramentum uſurpat ſine propoſito, utpote cujus efficaciam Sancti Patres, & Spiritus Magiſtri univerſim deſumunt, non ex nudo affectu, ſed ex effectu, id eſt, ex fuga occaſionis. Quid multis? occaſio ſi non fugiatur, cetera nihil proſunt.

*Sine fuga occaſionis nil prodeſt pœnitentia.*

8. S. Petrus, in carcere detentus, noctu excitatur ab Angelo, catenis ſolvitur, carcere educitur; & tamen vix ſibi ipſi credebat, ſomniare ſe putabat, *exiſtimabat ſe viſum videre.* (*Act. 12.*) Verum poſtquam portam ferream tranſiiſſet, & vidiſſet ſe procul a carcere conſtitutum, exclamavit: *Nunc ſcio vere, quia miſit Dominus Angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis.* Ita mi pœnitens, etſi te videam confiteri, communicare, Eccleſias frequentare, orare, eleemoſinas facere, hæc omnia pro viſu, pro ſomnio habeo; at cum videro te occaſiones fugere, illa conſortia declinare, tunc tibi gratulabor, & dicam: *nunc ſcio vere.* &c.

*Nec quævis bona opera, aut confidentia in Angelo cuſtode.*

9. Ah! mi Concionator, poſſum cum veritate dicere, antequam ad illam domum redii, ubi metuebam relapſus periculum, ſedulo me commendavi Angelo Cuſtodi, immo etiam Angelorum Reginæ, ut cadere me non permitterent: Ita aliqui temeritatem ſuam palliare præſumunt. O frivolam ſpem, de qua S. Job, (*c. 4.*) *Spes ejus fruſtrabitur eum, & videntibus cunctis præcipitabitur!* Quæſo, ſi audaculus quiſpiam ex confidentia tutelæ Angelicæ præſumeret in extima horrendi præcipitii crepidine dormire, nonne ex hac ipſa temeritate mereretur ab Angelo deſeri? pariter ſe res habet in præſenti: Deus quidem *Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis:* (*Pſ. 40.*) verum notaſis, *in Viis*, non *in præcipitiis.* Percipe, quæ hanc in rem enarrat Zeloſiſſimus Pater Segneri. Eo, (*homil. Chriſt. part. 3. diſt. numer. 12.*) tempore, ait, quo Apoſtolicus Vir Nicolaus Zucchius Romæ prædicatione Verbi Divini ingentem animarum meſſem colligebat, quondam audiit cum quidam ordinum in militia ductor, qui compluribus annis turpis mulierculæ amore irretitus fuerat. Materia, quam tractabat

facer

ſacer orator, erat contra relapſum, qua proponebat, peccatori e ſordibus ſuis emergere cupienti præter fugam occaſionis apprime utilem, ac neceſſariam eſſe ſpem, atque quotidianum refugium ad Angelorum Reginam. Hæc audiens miles ille decrevit illico huic devotioni ſe dare, atque tam feliciter res illi ceſſit, ut non diu poſt, abrupto turpi commercio, totus alius viveret. Cum autem de ſua conſtantia plus æquo confideret, elapſo jam ſex menſium ſpatio, decrevit adire illius, quondam ſuæ, ædes, ut cognoſceret, an & ipſa pravæ vivendi aſſuetudini renuntiaſſet, an vero alteri cuipiam perdite adhæreret. At ecce: cum jam haud procul abeſſet a limine, ubi aperto ſe exponebat pereundi diſcrimini, occulta quadam vi repelli ſe ſenſit, tanto ſpatio, per quantum illa ſe platea porrigebat, ſic ut tandem ſubtracta ex oculis illa domo, ad ſuæ oſtium conſiſteret. Alium eventum huic perſimilem enarrat Menochius, de ſtudioſo, qui, cum e prava occaſione, cui temere ſe commiſerat, ægre evaſit. Ab Angelo ſonante alapa fuit caſtigatus. &c. &c. (*Vide Feſt. SS. Angel conc. 2. n. 5.*)

10. *Epilogus.* Tu igitur, mi Chriſtiane, ex his, aliisque hujuſmodi eventibus diſce, nihil tibi profuturum Sanctorum patrocinium, niſi ex teipſo adhibeas remedium malo medicando unice neceſſarium, nempe fugam occaſionis: ſine hac, quidquid agas, actum agis. Hoc remedium diſerte præſcripſit Divinus animarum Paſtor Chriſtus, inquiens: (*Marc. 9.*) *Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te.* Non ſatis ille eſt oculum aliquamdiu claudi, ſed jubet erui, & projici, ut tollatur occaſio. Noli confidere viribus tuis, nec vana ſpe de tua conſtantia tibi blandiri; crede, nemo citius cadit, quam qui non caſurum ſe præſumit: denique ſemper in corde tene effatum S. Hieronymi, dicentis: *Tutius eſt, perire non poſſe, quam juxta periculum non periiſſe.* Amen.

Dominica III. poſt Paſcha.

## CONCEPTUS I.

### De vanitate rerum mundanarum, & brevitate Vitæ mortalis.

*Modicum, & jam non videbitis me.* Joann. 16.

### EXORDIUM.

*Hæc vita inſtar comœdiæ eſt.*

1. NUnquam vidiſtis comœdiam, ſeu ludum theatralem? hic varia exhibentur ſpectacula: prodit magnificus Rex: Atreum crederes Tyeſtis fratrem, capite coronam, manu ſceptrum geſtans, toto corpore auro coruſcans: dat jura, diſtribuit imperia, a ſervis adorationem recipit. (*Seneca in tragœdiis.*) Alia parte venit inſignis ad invidiam Agamemnonis armatus Bellidux, milites in aciem diſponit, obſidiones urbium adornat, conſilia cum tribunis agitat, ſtratagemata excogitat. Paullo poſt comparet dives Euclio uti Vetuſticus Cremes, nummos cenſat, a famulis rationes exigit, officia familiæ diſtribuit: ſerione iſta omnia? nihil minus: ludus ſunt, oculorum deceptio, fabula: poſt unam, aut alteram horam evaneſcunt omnia, ponuntur larvæ, orcheſtra evacuatur, ſpectaculum tranſiit. &c. Qua aptius ſimilitudine vitam præſentem adumbrem, quam comica id genus fabula? In hoc mundi theatro magnates imperant, ſubditi obſequuntur, gens illa belligeratur, alia pacem, ac fœdera pangit, maria navigationibus fatigantur, divitiæ cumulantur, editur, bibitur, luditur, comeſſatur, tripudiatur, voluptatibus inhiatur. Et cum iſta omnia mundus intuetur, qui non plus intellectu, quam oculis capit, felices reputant, qui fortunæ apicem tenent, qui rerum omnium affluxu potiuntur. &c. O Chriſtiana pectora! erratis: non ſerio res iſtæ aguntur. Spectantur, non poſſidentur: comœdia ſunt, ait S. Baſilius, (*hom. 5 Hexam*) momento clauduntur omnia. Et S. Chryſoſtomus: (*Epiſt. 6.*) *Non eſt theatralibus ſcenis vita noſtra diſſimilis; nam ut iſtic ille Imperatoris, hic Judicis, & alter militis implet officium; ubi autem conſecuta non fuerit, nec Imperator agnoſcitur*, ſed cortina clauditur, & perſona exuitur.

2. *Propoſitio.* Quare in gratiam eorum, qui inordinato nimis affectu rebus his mundi adhærent, exponam hodie hanc comœdiam, oſtendamque, quam revera *modicum* ſit omne illud, quidquid mundus magni facit, inculcans illud Auguſtini: (*tr. 101. in Joann.*) *Modicum eſt hoc totum ſpatium, quod præſens pervolat ſæculum.* Favete.

### §. I. *Terrenus honor vanus, ac tranſitorius.*

3. *Scena Prima.* Ecce, prodeunt in hoc mundi theatrum Magnates, Reges, Principes cum innumerabili famulatu: ut fulgurant coronæ, ut ardent purpuræ, ut gemmis corruſcant ſceptra! Mahu! hæc ſunt mundi idola: hi fortunæ filii: &c. O chriſtianæ animæ! nolite errare: figura ſunt hæc omnia: *præterit figura hujus mundi*: (*1. Cor. 7.*) vix differunt iſti a Regibus ſcenicis, vix apparent, jam iterum diſparent. Non inepte vanitatem terreni honoris quidam hoc ſymbolo adumbravit: picta erat præalta rupes, in cujus vertice cernebantur coronæ, infulæ, purpuræ, totumque fortunæ armamentarium: ex una parte rupis per ſcalas turmatim aſcendebat populus: vix autem quiſque, ubi faſtigium attigit, & fortunæ ſpolium, quod allibuit, arripuit, ecce, ex altera rupis parte retro præcipitati in ſcrobem mortualem decidebant, ubi inſcripta legebantur hæc verba, *Regnabo, regno, regnavi, ſum ſine regno.* Qui aſcendebant ambitioſe dicebant: *Regnabo*: qui in ſummitate ſtabant, gloriabantur: *Regno*:



qui delabebantur, ingemiſcebant: *Regnavi*: qui in ſcrobe jacuere, ejulabant: *Sum ſine regno.* O quam modico temporis intervallo differunt, *regnabo, & regnavi*! Narrat Sanctus Hieronymus: (*Ep. 3. ad Heliodor.*) de Xerxe Perſarum Monarcha, quod olim ex præalto monte numeroſum exercitum ſuum contuens, amare fleverit, rogantibus cauſſam fletus, repoſuit: an non illacrimer cogitans, ex tot armatorum millibus intra unius ſæculi ſpatium, nec unicum ſuperfuturum? An non merito illacrimemur & nos, dum intuemur ex tot potentibus ſæculi, quos orbis adoravit, nullum ſupereſſe amplius? Dic Hiſpaniarum Monarchia, ubi ſunt modo illi tui octoginta tres Monarchæ? Dic Gallia, ubi tui ſexaginta duo Reges? Dic Romanum Imperium, ubi tui viginti ſeptem ſupra centenos Imperatores? Dic Roma, ubi tui illi ducenti quadraginta tres Pontifices? Dic Bohemia, ubi tui quadraginta Reges, ac Principes? Dic Polonia, ubi tui triginta? Dic Hungaria, ubi tui quadraginta duo? Dic Anglia, ubi tui ſexaginta ſeptem? Dic Suecia, ubi tui triginta octo ſupra centenos? Dic Dania, ubi tui duodecim ſupra centenos? &c. Eheu diſparuere omnes, nec jam tot pulveres ex tot Monarchis ſuperſunt, quot antea Regna, & Principatus ſub tributo cenſuerunt. At vero inquis, aliqui diu, ac feliciter regnarunt; quid tum? præterquam enim, quod multi regimen non tam poſſederunt, quam guſtarunt, dabo aliquos ad quadraginta, quinquaginta annos ſolium tenuiſſe: jam modo autem quingentis, ſexcentis, millenis annis in æternitate ſunt: quid ſunt quinquaginta anni, computati ad mille? immo computati ad æternitatem? ah! momentum ſunt, & momento minus. Nunc, mi homo, longum reputas vitæ tuæ ſpatium; at cum moriendum erit, agnoſces, quantilum fuerit. Audi Auguſtinum: (*tr. 101. Joann.*) *Hoc autem modicum longum nobis videtur, quoniam adhuc agitur; cum finitum fuerit, tunc ſentietur, quam modicum fuerit.* Tunc honores hujus mundi, quos ambiebas, ploranti tibi, & anguſtiato valde ultimum dicent: Vale: *modicum, & jam non videbitis me.* O futilem honorem, qui deſinere poteſt! At ecce, prodit.

### §. II. *Divitiæ ſunt vanæ & tranſitoriæ.*

4. *Scena Secunda.* In hoc mundi theatro ſudant, laborant, fatigantur, divitias cumulant, aurum ſitiunt divites Eucliones. Nec deſunt ſpectatores, qui illis applaudunt: Ecce, inquiunt, iſti homines feliciter vivunt, fortunam famulam habent, rerum affluxu potiuntur. &c. O Chriſtiana pectora, *nolite errare*: deceptio eſt, non niſi comica illuſio eſt, modica, & momentanea felicitas eſt. In Gallia quondam contra Regem Pipinum gravis conjuratio adornata eſt, ſed detectis mature funeſtis conſiliis, conjurati omnes ferro exoculati ſunt: inter ſeditionis coriphæos erat Bernardus Regis germanus frater: in hunc mitius ſeviit: Rex, non ferro illi viſum eripuit, ſed auro; quippe in aureum vas, ſolaribus radiis coruſcans, tamdiu intueri debebat, donec ex radiorum reflexione excæcatus eſt. Ita dæmon hodiedum ſævit in animas: auro illas excæcat, eamque pro dolor! cæcitatem cauſſat, ut in terrenas opes defixæ, æternas veritates, vitæ brevitatem, & mortis jamjam vicinæ inevitabilem ictum non intueantur. Proto-Parentibus olim perſuaſit: *Non moriemini*: (*Gen. 1.*) & perſuadere poterat, quia mortis exemplum necdum viderant; cum autem hodie homini fidem facere non poſſit, ſe immortalem eſſe, ſaltem id agit, ut mortem quam longiſſime abeſſe perſuadeat, eum fere in modum, quo, qui tubum opticum præpoſtere oculo applicat, res e vicino ſtantes quam remotiſſimas credit. O talpa in terram demerſa! non vides amicos, vicinos, contubernales, qui iiſdem viribus valuerunt, iiſdem fortunæ dotibus ditati fuerunt, nunc in ſepulcris computreſcere? an divitiæ tibi proderunt, quo minus vita tua tener floſculus ſit, qui ab æſtu emarceſcit, a frigore flaceſcit, a pluviis putreſcit, a pedibus conteritur, a tempore conſumitur? an divitæ tibi ſcutum ſunt contra aerem, ne intoxicet, contra æſtum, ne exſiccet, contra cibum, ne noceat, contra potum, ne officiat? &c. erras, imprudens, erras: etſi ſupra Cræſum diteſcas, mortem corrumpere pretio non vales: pecunia expugnantur omnia, omnia, ſed non mors. O quam appoſite Salomon divitias comparat arenæ exiguæ: *Omne aurum in comparatione illius arena eſt exigua.* (*Sap. 7.*) Cur arenæ? intuere clepſydram, qua horam metiri ſolemus: en, perfluit arena exigua ab una ampulla vitrea in aliam, & lapſu unius horæ evacuatur: &c. O fluxæ divitiæ! vere eſtis arena exigua: quoties miſerum Euclionem vix una hora beaſtis! ille unice in res terrenas defixus, & longævam vitam ſibi pollicitus, inſudabat cumulandis divitiis mundi, & veras illas Cæli neglexit: interim effluxit mortualis clepſydra, raptus eſt ad tumulum, antequam has adquireret, & illas non impetraret. Eheu! quot infelices damnati deplorant errorem ſuum illis Jeremiæ lamentis: *Væ nobis: quia declinavit dies, quia longiores factæ ſunt umbræ veſperi.* (*Jerem. 6.*) Quæ hæc lamenta? percipe in ſimili: Viator mane obdormiſcens, & veſperi evigilans, cum videt longiſſimam montium umbram, putat ſolem non ita pridem ortum, & ſat temporis ſupereſſe: verum, cum minime putat, nox ingruit, & tenebris in via obruitur. &c. Hæc ſunt lamenta damnatorum: Væ nobis, inquiunt, putabamus vitæ noſtræ diem ab occaſu quam diutiſſime adhuc remotam, & ſubitanea mortis nox nos oppreſſit: ita Cajetanus: (*in Pſal. 101.*) *Væ nobis! ſimiles umbræ declinati ſunt dies vitæ noſtræ, qui apparent nobis valde longi, & tamen in intrinſeco vitæ, parum temporis ſupereſt*

*reſt vivendi*. Chriſtiana anima! noli inordinato affectu, & ſupra neceſſitatis exigentiam perituris opum crepundiis cor affigere, more inſipientis illius populi, qui viſis opimis paſcuis *pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem* (*Pſ.* 105.) crede, haud procul abeſt fatalis hora: tunc omnes divitiæ tuæ ultimum tibi vale dicent: Vale: *Modicum, & jam non videbitis me*; ſi ſapis, anhela ad divitias æternum manſuras. Jam apparet ecce.

### §. III. *Voluptates ſunt fluxæ & tranſitoriæ.*

5. *Scena Tertia.* In theatrum prodeunt delicioſi voluptatum ſectatores: en, ut infrunitam vitæ licentiam ſpirant: en, ut in omne facinus pruriunt, quod volupe eſt: en, ut identidem decantant illud: *Venite, coronemus nos roſis, nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra*. &c. (*Sap.* 2.) Chriſtiana anima: qui placet hæc cantilena? felices putas hos vanitatis Tantalos? Eheu falleris; edicite, fingamus quod Dominus Deus hic nobis intuentibus hominem producat, non ultra duas horas victurum: nihilominus homo iſte, unice in res mundanas intentus, riſus, theatrales ludos, convivia, compotationes, opulenta conjugia, meraſque vanitates cogitat: nonne diceretis: O infelix homo, inſanis? perituras delicias quæris poſt duas horas moriturus? &c. Agite, hos cavillos in voſmet ipſos retorquete: voluptatibus inhiatis, vix duabus horis victuri. Quid? dicitis, nos? vix duabus horis? ita eſt: omnis enim vita veſtra, quantumcumque ſeneſcat, ſi æternitati conferatur, aut Divino oculo menſuretur, vix geminæ horæ ſpatium adæquat. Demonſtro: Scriptura accurate deſcribit Veterum Patrum ætates: dicit Adamum nongentos triginta annos, Seth nongentos duodecim, Jareth nongentos ſexaginta duos, Lamech ſeptingentos ſeptuaginta ſeptem, Noemum nongentos quinquaginta, Mathuſalem nongentos ſexaginta novem habuiſſe &c. Ubi tamen notandum neminem antiquorum Patrum ad milleſimum uſque conſenuiſſe: quare non? ut palam ſit neminem integram diem vixiſſe: quid ni diem, qui vixere tot ſæcula? repeto, nullus coram Deo vel unicum diem vivit; nam *mille anni ante oculos tuos, ſicut dies heſterna, quæ præteriit*. (*Pſal.* 19.) Attendite obſecro: ſi mille anni ante oculos Dei vix diem adæquant, quid erunt ante oculos Dei quinquaginta, ſexaginta, aut in potentatibus octoginta anni? certe vix unam, aut alteram horam efficiunt. Nunc intelligo, cur Sancti Dei, & ſpeciatim ſanctus Job vitæ ſuæ dies pro nihilo reputet: *Nihil enim ſunt dies mei*. Quare nihil? Reſpondet Sanctus Gregorius: (*l.* 8. *Mor. c.* 20.) *Idcirco præſentes vitæ dies nihil eſſe conſpiciunt, quia illuminatæ mentis oculos in conſideratione æternitatis figunt*. Audite grandem veritatem ex parte mendaciorum: quæſitus dæmon ex energumeno, quando, & quamdiu damnatus eſſet? heri, reſpondit: quid? heri? mentiris: utique jam ultra quinquaginta ſæcula damnatus es: repoſuit malus ſpiritus: *Si ſcires æternitatem, totum tempus a conſtitutione mundi unam horam reputares*. (*Hugo Card. in Pſ.* 87. *S. Aug. in Pſ.* 16.) O brevis vita! O longa æternitas! Repeto gemitum: O brevis vita! O longa æternitas! At nunc ſtatuendus eſt comœdiæ

9. *Epilogus*. Quæris, Chriſtiana anima, quem in finem vitæ brevitatem tibi ante oculos ſtatuam? non alium in finem, niſi ut æternitati, non hujus vitæ brevitati labores. Ridemus Eſau, quod pro pulmento primogenituram, ridemus Lyſimachum, quod pro hauſtu frigidæ regnum vendiderit; & quoties eheu! æternitatem vendimus pro hoc modico? Age ergo, tu ambitioſe, time in momenta ſingula, ne Divina manus tibi ſcribat feralem ſententiam, quam Balthaſari ſcripſit: (*Dan.* 5.) *Dividetur Regnum tuum*. *Age* avare, time ne hac nocte audias: *Stulte hac nocte repetent animam tuam a te, & quæ paraſti, cujus erunt?* (*Luc.* 12.) Age voluptuoſe, time in momenta ſingula, ne te tangat illud: *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt*. (*Job.* 21.) Audis? *in puncto?* hoc punctum *modicum* eſt, momentaneum eſt: id vero, quod conſequitur, æternum eſt, interminabile eſt. &c. &c.

Dominica III. poſt Paſcha.

## C O N C E P T U S II.

Qua ratione hominem Chriſtianum per actiones modicas, & minimas ad magnam Virtutem, ac meritum aſſurgere oporteat.

*Modicum, & videbitis me*. Joann. 16.

### E X O R D I U M.

*Minuta ſæpe ſunt æſtimabiliora magnis.*

1. QUisquis rerum pretia ex earum magnitudine metiri vellet, vehementer deciperetur: ſunt enim res exiguæ, & exiles ſæpe immenſis corporibus pretioſiores: immenſum eſt ſolare corpus, quod ultra centies ſexagies ſexies orbis terraquei globam magnitudine ſuperat; nihilominus unica formica, unicus pediculus, aliaque minutiſſima animalcula, utpote ſubſtantiæ animatæ ſolem perfectione tranſcendunt: una libra auri integro centenario plumbi, una margarita ingenti rupe æſtimabilior eſt. Neque ſolum in natura, ſed & in artefactis hanc veritatem compertam habemus: Miratur Galenus (*l.* 17. *de uſu part. c.* 1.) viſam a ſe annuli gemmam, in qua Phaeton, quatuor equis invectus, inſculptus cernebatur, frena equorum, ora, dentes erant minutiſſime diſcernibiles, & crura, mirabiliter articulata, crus pulicis non excedebant. Myrmecides, teſte Plinio, (*l.* 7. *c.* 21.) fabricavit quadrigam



gam ex ebore, quam muſca alis contegere poterat, & navem, quam apicula pennis abſcondebat. Alius, ut nomen magnum ex re parva ſibi compararet, totam Homeri Iliadem charta, quæ in nuce concludi poterat, comprehendit. (*Nigronus p.* 5. *de aur. min. hor. To.* 4.) Repeto igitur, in rebus etiam modicis magnam reperiri poſſe æſtimabilitatem, ac perfectionem. &c. Quod in natura, & arte, idipſum in ſenſu morali nimis quam verum eſt: coram Divinis oculis non tantum æſtimantur ea Chriſtianorum opera, quæ ſunt admiranda, portentoſa, ac heroica, ſed etiam modica, & quotidiana: Eſto, quod homines ſancti in eremis, & ſolitudinibus diurna, nocturnaque contemplatione Deum adorarint, nihilominus tu, mi Chriſtiane, per repetitas preces jaculatorias, per diurna opera Vocationi tuæ congrua tantumdem Deo placere poteris, ſi velis. Eſto, quod illi crudelia tormenta, ac martyria exantlarint, nihilominus tu idemmet meritum colligere poteris, ſi leves moleſtias quotidie occurrentes amore Dei toleres. Eſto, quod illi ingentia patrimonia in pauperes diſtribuerint, nihilominus tu non inferius meritum referes, ſi inopi amore Dei hauſtum frigidæ porrigas. An poſſet eſse excellentius opus, quam mortuos ſuſcitare? Nihilo tamen minus affirmat Bloſius; (*inſtitut. ſpirit. cap.* 2.) *Qui ſenſualitati, voluntatique propriæ propter Deum etiam in minimis rebus reluctatur, ac ſe mortificat, rem ipſi Deo magis gratam facit, quam ſi multos mortuos excitaret*. &c.

*Opera modica Deo nonnunquam gratiora magnis.*

2. *Propoſitio*. Quare in gratiam eorum, qui deceptorie ſibi immaginantur, Virtutem, ac perfectionem Chriſtianam ſolum in actibus prodigioſis, ac heroicis fundari, oſtendam hodie, ſaluti noſtræ meritum ut plurimum ex actionibus modicis, & minimis pendere. Eſt hæc materia ſcitu neceſsaria hominibus præſertim plebeis, uti agricolis, operariis, ancillis, famulis, qui vix aliam habent methodum in meritis diteſcendi, niſi per opera, ac labores diurnos. Proinde verba Evangelii hunc in eumdem ſenſum intelligere volui: *Modicum, & videbitis me*, id eſt, curare debetis *Modicum*, & tunc in præmium hujus modici viſione beatifica *videbitis me*. &c. Favete.

*Divitiæ etiam temporales colliguntur per multa modica.*

3. *Confirmatio*. Si rem penitus conſiderare lubeat, fatendum eſt, divitias etiam temporales colligi per mera modica multiplicata: unde quis dives dicitur ex frumento? ex multis granis, aut ariſtis: unde quis dives dicitur ex vino? ex multis uvis: unde quis dives dicitur in oleo? ex multis fabis oleariis. Unde diteſcit textor? ex multis filis: unde diteſcit lartor aut ſutor? ex multis acus, aut ſubulæ puncturis: unde diteſcit faber? ex multis mallei ictibus: & ſic de ceteris loquendo, univerſim verum eſt, cujuſcumque generis divitias ex modicis lucris ſæpe multiplicatis conſurgere; unde rei œconomicæ periti pro primo principio habent, eum, qui ad amplam fortunam aſpirat, tam parum debere negligere obolum, quam florenum, eumque nunquam facturum inſigne lucrum, qui non curat lucellum. Quemadmodum in lucro rerum temporalium, ita etiam res ſe habet in ſpirituali lucro meritorum: quiſquis cupit anima tenus diteſcere, modica non negligat, neceſſe eſt: ita S. Chryſoſtomus: (*apud Lohn. Bibl. V. Minimorum curæ* §. 7.) *Sicut opes corporis accumulantur, cum amatores illarum ne minimum quidem lucellum negligunt, ita ſpirituales divitiæ per minimorum ſedulam curam augentur*.

4. Conſiderate rivum exiguum, qui per paſcua fluitat: tam inops eſt aquis, ut arido tempore nonnunquam penitus exſiccari videatur: ponamus aut ingruere nimbos, & aliquoties jam ita increvit, ut ingenti fluvio, ipſique Danubio ſimilis, aquarum exundatione vallem integram occuparit: unde tanta undarum copia? ex meris pluvialibus guttulis. Jam percipite doctrinam moralem S. Baſilii: (*orat.* 6. *ex collect.*) *qui diligenter ex unaquaque re fructum decerpunt, iis perinde, ac magnis fluminibus multæ ex omni parte acceſſiones fieri conſuevere*. Quinam autem ſunt illi, qui ex unaquaque re fructum decerpunt? reſpondeo, ſunt illi, qui ad modica intenti ex quavis actione meritum colligere ſatagunt. Vis, mi Chriſtiane, ut hanc doctrinam tibi practice demonſtrem? Age, quamprimum a nocturna quiete te levas, ſtatim per ſanctas intentiones totius diei opera Deo offer; dein antequam opus aliquod in particulari aggrediaris, ſemper animum recollige, & ex Dei amore laborare decerne: ſi curioſitas aliquid ſuadeat, quod mortificatio vetat, amore Dei ſenſus cohibe, exempli cauſsa, jubet curioſitas per feneſtras proſpicere? non proſpice: occurrit in colloquio, quod dictum oſtentationi, aut pompæ faceret? non dic; eſt occaſio alterum dictis pungendi? non punge; arridet ſingulariter in menſa aliquod obſonium? ſubtrahe tibi bolum unicum; in horto invitat floſculus ad carpendum? ne carpe; tranſis arborem, & invitat te cupiditas ad guſtandum pomum? ne guſta: in platea vides mendicum? porrige unicum obolum, aut hoc deficiente, ſaltem commiſerationem elice; Verbo: nullam prætermitte occaſionem merendi: *Qui timet Deum nihil negligit*, ait Eccleſiaſtes. (*c.* 7. *v.* 19.) Senex quidam, rogatus a fratribus, quomodo poſſet ſuſtinere voces puerorum pecora paſcentium? reſpondit: ideo ſuſtineo, ut fiat mihi conſuetudo ſuſtinendi. Nemo credit, quam hæ leviſſimæ actiones homini comparent meritorum theſaurum: ideo affirmat S. Auguſtinus: (*l.* 4. *de Doctr. Chr. c.* 18.) *In minimo eſſe fidelem, maximum eſt*.

*Modica ſunt ſecuriora actibus heroicis.*

5. Preterea hoc exercitium merendi per modica ſecurius eſt, quam actus generoſi, ac heroici, quia

quia minus habet periculum vanæ gloriæ, & jactantiæ; quis eſt in virtute adeo ſolidatus, qui ab applauſu hominum, qui ordinarie generoſa facta conſequitur, non tangatur? O quam multi, qui in ejuſmodi factis vanam conceperunt complacentiam, meritum omne perdiderunt! eſt enim teſte Baſilio (*Cogit. Monit. c. 12.*) inanis gloria *dulcis ſpiritualium operum ſpoliatrix, tinea virtutum, blandiſſima bonorum noſtrorum deprædatrix.* Huic Virtutum tineæ, huic operum prædatrici in exercitio modicorum, de quo loquimur, porta omnis occluſa eſt: cum enim hæ modicæ actiones hominum admirationem, ac applauſum non poſt ſe trahant, etiam ab inani complacentia ſecuræ ſunt. Hinc vehementer decipiuntur, qui ad opera tantum magna, & admiranda aſpirant, putant ſe felices fore, ſi pro Deo martyria ſubire, ſi mundum univerſum convertere, ſi jejunia ad integras ſeptimanas prorogare, ſi mortuos ſuſcitare, ſi miracula facere poſſent: decipiuntur, inquam, quia meritum ex his actionibus admirandis facile perdunt, & aliud ex actionibus modicis non aſſequuntur.

*Per modica probat homo fidelitatem in magnis.*

6. Quæro ex te, mi Chriſtiane, putas te Deo in actionibus hujuſmodi magnis fidelem fore, ſi tibi conferret occaſionem ad martyria, ad gentilium converſiones? omnino, ais, vires omnes impenderem: reſpondeo: ergo hanc fidelitatem tuam prius in levibus demonſtra: in parvis enim experimentum a te vult capere Deus, quid facturus eſſes in magnis: *qui fidelis eſt, in minimo, & majori fidelis eſt, & qui in modico iniquus eſt, & in majori iniquus erit*, ait Divinum oraculum per S. Lucam: (*c. 16. v. 10.*) Numquam advertiſti, quid in militari diſciplina fieri ſoleat? Juveni militi non ſtatim conceditur integer exercitus, ſed primo demandatur illi unicus cuneus; tum ſi fidem ſuam probet, promovetur ad officium centurionis, denique ad ſupremam dignitatem Generalis aſcendit; neceſſe eſt, ut antea per leves velitationes demonſtret, quid facturus eſſet in magnis: Eadem ſe res habet in noſtro propoſito: ait S. Ambroſius, (*l. 1. Off. c. 10.*) *in minimis probandum eſt conflictibus, quam viriliter in majori certamine ſtare poſſimus.* Putas igitur, mi Chriſtiane, te pro Deo magna facinora agere, ipſaque martyria ſubire poſſe? oſtende fortitudinem tuam prius in levibus: ſupera tentationem, ut pateat, an ſuperaturus eſſes equuleum; ſuſtine patienter modicam injuriam, ut pateat, an reſtiturus eſſes tyrannicæ perſecutioni: & ſic de ceteris loquendo: dicere enim ſolebat Sanctus Indiarum Apoſtolus Xaverius: *Non poſſe quemquam in rebus magnis excellere, qui non prius excellat in parvis.* (*Hiſt. Soc. l. 3. Ep. 5.*)

*Modica non minus placent Deo, quam magna.*

7. Atque hæc eſt ratio, cur Domino Deo opera levia, ac quotidiana non minus placeant, quam magna, & excellentia, illaque non minus, quam iſta æterna mercede coronet. Divinus Sponſus, ubi ſuum amoris affectum erga dilectam declarat, inter alia ait: (*Cant. 4.*) *Vulneraſti cor meum, ſoror mea ſponſa, in uno oculorum tuorum, in uno crine colli tui*, ubi ſpecialiter notandum, quod Dominus Deus hac loquendi methodo res valde diſparatas, invicem comparet, nimirum unum oculum, & unum crinem colli: Etenim mirum non eſt, quod Divinus Sponſus in oculo Dilectæ ſibi complaceat; eſt enim oculus membrum humani corporis præſtantiſſimum, dicente Divo Chryſologo: (*Serm. 129.*) *Oculus eſt animæ feneſtra, ſpeculum mentis, lumen corporis, membrorum dux.* Verum quid hoc rei, quod Dominus non minorum complacentiam oſtendat in uno crine, re viliſſima, quam in ipſo oculo ſponſæ? S. Franciſcus Saleſius (*prax. ſpirit. p. 3. c. 35.*) enodat hoc dubium, inquiens, ſponſum non minus laudaſſe crinem, quam oculum, *ut oſtenderet, non tantum ſibi grata eſſe opera magna juſtorum, ſed etiam minima, ac infima.* Idipſum ſupra illa Evangelii verba: *Veſtri capilli capitis omnes numerati ſunt*, affirmans S. Cyrillus (*ap. Engelgr. Dom. ſept. §. 1.*) ait: *quid capilli, & capitis pili, niſi minutiſſimas actiones ſignificant, quas Deus exacte obſervat, ac præmiat?* O quoties in Scriptura, & in Vitis Sanctorum hæc veritas nobis inculcatur! Legimus de S. Stephano, (*Corn. a Lap. in c. 31. Proverb.*) quod cælos viderit apertos, dum martyrium lapidum exantlabat, ſed & legimus de S. Eliſabetha Thuringiæ Principiſſa, quod cælum apertum, & Jeſum ſtantem viderit, dum lanam, & linum pro ſua, aliorumque pauperculorum ſuſtentatione operabatur: quo viſo oſtendere voluit Deus, ſibi non minus placuiſſe hæc opera ſanctæ mulieris, quam martyrium Proto-martyris. Legimus de arida Virga Aaronis, (*Roſvveid. 8. Oct.*) quod prodigioſe floruerit; ſed & legimus de arida colu S. Libariæ Virginis, quod frondeſcere cœperit, ut oſtenderet Deus, ſibi non minus laborem placere Virginis, quam ſacerdotale regimen Aaronis. Legimus de S. Catharina Senenſi, quod præ devotionis ardore frequenter in extaſim rapta ſit, & tamen affirmat S. Franciſcus Saleſius, eam Domino Deo non minus inter culinæ ollas, & abjectiſſima operis domeſtici officia, quam in extaſi placuiſſe. Quid multis? craticulæ Laurentii, Leones Ignatii, boves Euſtachii, Martyrum tormenta, Confeſſorum vigiliæ, Anachoretarum auſteritates commendantur quidem: ſed & exiguæ corporis afflictiones, leves injuriæ, modicæ moleſtiæ, amore Dei exantlatæ, apud cæleſtem ſponſum in pretio ſunt. Miratur quidem mundus, quod Herodes unicum levem ſaltum dimidio regni compenſarit: miratur, quod Carolus V. Marchioni de Villareal ob id ſolum, quod Reginam ſuam honoris cauſſa Hiſpalim comitatus ſit, quadraginta ducatorum millia donarit: ſed miretur potius quod Dominus Deus unicum greſſum, amore ſui factum, integro cælorum



lorum regno compenſet. Notiſſimum eſt illud e Vitis Patrum: (*Engelgr. Dom. ſept. §. 2.*) Eremicola quidam cellam incolebat, a fonte, e quo aquam haurire ſolebat, remotiſſimam: tot greſſuum impatiens jam in eo erat, ut domicilio mutato, cellam propinquius ad fontem admoveret, cum ecce aliquando aquam bajulans, audit pone ſe inſequentem, ac greſſus ſuos dinumerantem, miratus, & circumſpiciens edocetur, Angelum e cælo fuiſſe miſſum, qui greſſus ſuos annotaret, quondam in cæleſti patria glorioſa mercede coronandos. His auditis, eremicola laudans Dei Bonitatem, quæ etiam unicum greſſum amore ſui factum, non impræmiatum ſineret, amplioris meriti intuitu tuguriolum adhuc uno milliari remotius a fonte ſeparavit. &c.

8. *Epilogu*. En, mi Chriſtiane, quam verum ſit illud Sancti Job: (*c. 14.*) *Tu quidem greſſus meos dinumeraſti.* Deus nec unicum paſſum, nec unicum ſuſpirium, nec unicum verbulum, nec unicum hauſtum frigidæ pauperi porrectum, nec unicum laborem, amore ſui factum, incompenſatum relinquit, ſed æterna mercede coronat. Si mireris, quomodo opus aliquod viliſſimum proportionem habeat ad æternam mercedem, cogita Indos, Americanos: ſicut enim apud Indos teſtea, & vitrea crepundia multo auro, gemmiſque permutantur; ita ſi loqui hunc in ſenſum liceat, minima opera apud Deum pro incomparabilibus cæli gaudiis accipiuntur. Tu igitur, mi Chriſtiane, occaſionem merendi nullam neglige, in operibus tuis omnibus Dei beneplacitum attende, & hac induſtria immenſum meritorum theſaurum colliges. Deus enim omnia ſibi facta diligenter annotat: Precaris? voces ſupputat; ſtipem erogas? teruncios numerat: legis, ſcribis? apices notat: laboras? halitus omnes ponderat. O felicem te, ſi huic induſtriæ invigiles! quia propter *modicum* impetrabis æternum. Amen.

Dominica III. poſt Paſcha.

## CONCEPTUS III.

De tertio peccati remedio, quod eſt, tentationum initiis reſiſtere.

*Modicum*. Joann. 16.

### EXORDIUM.

*Securiſſimum remedium peccati eſt, reſiſtere principiis.*

1. HAud longo tempore poſt obitum S. Franciſci aliquot ejus Religioſi, conferentiam, ut ajunt, ſpiritualem inſtituentes, conſilium agitarunt, quænam ſit expeditiſſima methodus vincendi tentationes, ac peccata, præſertim immunditiæ. (*Surius in Vita B. Ægydii Franciſc.*) In varias itum eſt ſententias. Dicebat unus: cum tentatione impugnor, ante oculos mihi pono deformitatem hujus vitii, quod non ſolum Deo, ſed & hominibus abominabile eſt. Alius inferebat; cum ſentio tentationem, provolvor in genua, & cum lacrimis, ac precibus imploro auxilium intemeratæ Virginis. Alii alia remedia recitabant. Quibus auditis, demum Beatus Juniperus, Vir Spiritu Dei plenus mentem ſuam aperuit, inquiens: Ego, cum procul venientem hoſtem proſpicio, abſque mora portas animi occludo, & intus ſublata voce exclamo: procul, procul, occupatus eſt diverſorii locus: quo pronuntiatio, indicare voluit Dei famulus, non eſſe artem faciliorem obmuniendi animum contra quævis peccata, quam celerem reſiſtentiam, qua tentationum initiis ſine mora occurritur. Atque ita eſt, Dilecti Chriſtiani. O quam cito peccata omnia ex orbe eliminata forent, ſi hanc vincendi artem Chriſtiani omnes ſibi commendatam haberent! præveniendus eſt inimicus, antequam invaleſcat, extinguendum eſt incendium, dum adhuc viget in ſcintilla: extirpanda ſunt Zizania in ſemine. &c. Quæſo, quid dicere voluit Sapientiſſimus Salomon per mirabile illud effatum in Canticis: *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas?* (*Cant. 2. v. 15.*) quid per vineas? quid per vulpes, & quidem parvulas, ſubaudit? nempe analogice explicare voluit hanc ipſam neceſſitatem reluctandi tentationibus, dum adhuc teneræ, ac modicæ ſunt. Vulpes, quibus, teſte Cornelio a Lapide, (*hic.*) Judæa abundat, vineis admodum inſidioſa, ac nociva eſt; depaſcit enim uvas, eradicat vites, terram juxta radices ſuffodit, & tandem vineam omnem ad vaſtitatem reducit. Quid factu opus eſt? capiendæ ſunt vulpes, & quidem parvulæ, dum adhuc inexpertæ, & captu faciles ſunt; ſi enim ſuboleſcere, anneſcere, & creſcere ſinantur, haud facile in retia induentur juxta illud: *Annoſa vulpes haud capitur laqueo.* Parem in modum ſuggeſtiones diaboli præveniendæ ſunt, antequam invaleſcant; ſi non opprimantur, dum adhuc ſunt parvulæ, heu! quantum poterunt vineæ, hoc eſt, humanæ animæ afferre nocumentum!

2. *Propoſitio*. Cariſſimi Auditores! cum igitur propoſuerim per aliquot conciones perſcribere peccati remedia, hodie explicabo remedium in paucis eſſe efficaciſſimum tentationum initiis propediem reſiſtere: *Modicum, modicum* incendium facile reſtinguitur; *modicum* lolium facile eradicatur; *modicum* propugnaculum facile debellatur; *modicum* vulnus facile ſanatur; *modica* tentatio facile ſuperatur; ſed ſi invaleſcere iſta ſinantur, incendium fit inextinguibile, propugnaculum inexpugnabile, lolium inextirpabile, vulnus inſanabile, & tentationis certamen inſuperabile. Favete.

*In prælio bellico res fere omnis dependet ex initio.*

3. *Confirmatio.* Generoſi bellatores, qui militari peritia florent, quam optime norunt, quanti interſit præliorum initiis rem bene agere; hinc

hinc omnem virtutem impendunt, ut initia feliciter ſuccedant. Intueamur duos pugiles in valle Therebinti, videlicet Davidem, ac Goliathum. (1. *Reg.* 17.) Ibi, quamvis armatus Gigas jactabunde inſultarit fideli populo, in arena tamen imperterrite comparuit juvenis David, dicitque de illo Scriptura, quod acceleranter, & feſtinabunde comparuerit: *Feſtinavit David*. Generoſe Juvenis: feſtina lente, age mature, metire jactum, & adverſarium viciniorem exſpecta, ut ſecurius ferias: Non, non reſpondet David: feſtinandum eſt, eminus agendum eſt: ſi enim Gigas jam impenderet jugulo, certe ſunda, ac lapis, in quibus victoriæ ſpem repono, non amplius eſſet uſui. Prævenit igitur adverſarium, lapidem projecit, vicit, triumphum retulit. Eumdem in morem agendum eſt in pugna ſpirituali contra tentationes; eminus feriendus eſt hoſtis, nec indulgendus; vicinior illi congreſsus ſternendus eſt, dum adhuc eſt debilis, ac infirmus, & necdum per obtentas victorias invaluit. O quanta mala conſequuntur, ſi primi tentatoris aſsultus non ſtatim eludantur! vultis ſcire, mei Chriſtiani, quænam ſint hæc mala?

*Si tentationibus non ſtatim reſiſtitur, mox ad majora proceditur.*

4. Reſpondeo, inter cetera maximum eſt, quod, ſi initiis non reſiſtatur, mox ad majora fiat progreſsus, & ſic ſenſim ſine ſenſu eatur in vitiorum incrementa: In mentem hic mihi venit ridicula narratio, quam de quodam ſtratagemate Studioſorum Pragenſium multoties audivi: contigit ibi in Univerſitate Studioſorum nonneminem, neſcio cujus delicti cauſsa, in vincula trahi, & in prææltæ turris ergaſtulo concludi. Illius conſodales, ut captum redimerent, hanc ſtropham invenerunt; formicæ e majoribus alicui tenuiſſimum filum ſericum illigarunt, filo huic ſerico annexuerunt filum craſſius, filo craſſiori funiculum, funiculo rudentem: hanc igitur formicam muro turris applicarunt, ejuſque frontem modiciſſima mellis ſtillula tinxerunt. Animalcum mellis odore allectum, recta e muro turris aſcendens, poſt ſe traxit filum tenuiſſimum, illudque demum poſt multas ambages ad feneſtram captivi ſurſum detulit, quod ille apprehendens, primo filum illud craſſius, tum funiculum, denique rudentem attraxit, quo e ſublimi ſeſe demiſit, ac in libertatem aſſeruit. Ita plane contingit in noſtro propoſito; ſemper proceditur ad majora; infernalis tentator ab initio tantum petit filum tenuiſſimum, hoc eſt, modicam ſomnolentiam in reſiſtentia tentationis; hoc obtento, novit adeo proſequi ſuas fraudes, ut ſucceſſive funiculis, ac rudentibus liget peccatorem. Hinc Sanctus Franciſcus Seraphicus, (*Drexel. in paleſtr. p.* 3. *c.* 2. §. 2.) illud miraculum Sanctitatis, monere ſolebat ſuos Fratres, caverent ſibi, ne vel unicum capillum traderent diabolo; quia callet ille ex hoc capillo funem nauticum texere, quo eos pertraheret ad gehennam. Quibus incrementis creſcit hic funis nauticus dæmonis? percipite Sanctum Bernardum dicentem: (*in tract. de intern. domo.*) *In initio cogitationis iniquæ reſiſte, & fugiet a te, cogitatio prava delectationem parit, delectatio conſenſum, conſenſus actionem, actio conſuetudinem, conſuetudo neceſſitatem, neceſſitas mortem.* En greſsus: en incrementa.

5. Jam intelligo textum illum captu valde difficilem, quo Spiritus Sanctus per Prophetam comminatur: *Væ, qui cogitatis inutile*: (*Mich.* 2.) mirabile dictum: cum enim, teſte Gregorio, (*hom.* 9. *in Ezech.*) particula *Væ* in Scripturis ordinarie ſignificat minas æternæ damnationis, qui fieri poteſt, ut propter inutilem cogitationem intentetur tam grave ſupplicium? Nimirum, ab inutili cogitatione paullatim devenitur ad iniquam, & ab hac ſemper profundius, ac profundius in abyſſum &c: Age modo, mi peccator, & tibi ipſi blandire, te ſerio pœnitentiam acturum, e ſcelerum cœno reſurrecturum, poſtquam iteratis vicibus diabolo victas manus dediſti: quæſo, cui eventui hanc ſpem inædificas? an putas tentatorem laſſatum iri, tentationes, cum tempore ceſſaturas? falleris, falleris: dico tibi cum morali Seneca: (*ap. Manſi Titulo Tentatio diſc.* 16. *n.* 2.) *Non obtinebis, ut deſinat, ſi incipere permiſeris.* Vis conſulere ſaluti tuæ? non permitte incipere. Principiis obſta, ſero medicina paratur, cum mala per longas invaluere moras. Rex Pharao, cum videret Iſraelitas in regno ſuo multiplicari, præcepit maſculos infantes ſtatim poſt partum aquis ſuffocari: quare? ne adoleſcerent, & cum tempore contra ſe arma caperent. Ita in cunis ſuffocandus eſt fetus malarum tentationum.

*Peccatum Evæ, & fere omnia alia ex eo facta ſunt, quia non reſiſtebatur initiis.*

6. Verum quid juvat hanc rem Scripturæ teſtimoniis, & doctrinis moralibus dilucidare, quæ optime comprobatur ab exemplis. Ab exemplis, inquam; exiſtimo enim, aut nullum, aut pauciſſima peccata fuiſſe in mundo patrata, quæ non ortum traxerunt a negligentia reſiſtendi initiis: perpendamus hanc veritatem in primo peccato Proto-Parentum: Eva, muliebri curioſitate Paradiſum perluſtrans, in dæmonem perſonatum ſerpentem incidit, cum eoque ſermonem miſcuit. O mulier incauta, fuge, abrumpe ſermonis initia, paratur tibi laqueus, fuge: Fruſtra moneo, pergit Eva colloqui, decipitur, præceptum Dei prævaricatur, & infelici eſu pomi una ſecum nos omnes in ruinam præcipitat. Dic, Sancte Chryſoſtome, quid opportuiſſet facere Evam, ut a turpi lapſu manſiſſet immunis? audite verba S. Doctoris: (*hom.* 16. *in Gen.*) *Oportebat initio colloquia ejus non ferre.* Notate, notate: initia tentationum oportet averſari: O mei Chriſtiani! ne quærite, cur a ſtygio tentatore in pudenda ſcelera adeo frequenter abripiamini: ratio eſt, quia tentationi colluditis, quia initia non formidatis, quia modica ſpernitis, & dein ad magna prorumpitis. Non eſt diſputandum cum diabolo, ſed fugiendum.





*Sicut in temporalibus prævertitur damnum modicum, ita fieri debet, quod animam concernit.*

7. O quanta eſt veſtra ſedulitas, ac circumſpectio in rebus temporalibus, ut damna, ac pericula, quæ metuuntur, mature præveniantur! Quid agitis, ſi forte ſcintilla quædam contempta in paleam incidat, & domus incendium minitetur? curritur ſtatim, fertur aqua, extinguitur ignis. Quid agitis, ſi venenoſum carcinoma membrum aliquod corripiat, & per totum corpus ſerpere metuatur? curritur ſtatim, vocatur Chyrurgus, fiunt uſtiones, ac ſectiones. Quid agitis, ſi forte murus rimas agat, & ruinam domus intentet? curritur ſtatim, reparatur ruina, fulcitur murus. Quid agitis, ſi ignitus carbo in veſtem inſiliat? curritur ſtatim, excutitur, aut extinguitur. Superſedeo plura hujuſmodi exempla producere, & interrogo; cur ergo non pari induſtria feſtinatis obluctari tentationibus, cum tamen earum nocumenta ſint incomparabiliter graviora, quam omnia hæc recenſita? &c.

*Diabolus indubitanter ſperat victoriam, ſi initiis non reſiſtatur.*

8. Dicit forſan nonnemo: Etiamſi tentationem non in ipſo ſemine extinguam, non eſt tamen periculum delectationis, & conſenſus. &c. O mi bone! hæc ipſa reſponſio plane gravis eſt tentatio: craſſiſſima, ut ſentio, laboras ignorantia: ſcias enim velim, ſi initiis tentationis locum tribuas, jam omne id obtinuit diabolus, quod vult. Itane omne id? Ita eſt: nihil amplius pro nunc deſiderat tentator, niſi ut tentationis initia acceptes: quemadmodum ille, qui unico eoque extremo catenæ annulo ligatus eſt, dicitur integra catena teneri; ita ſi unico tentationis initio vinculari te ſinas, profecto orcinus inſidiator ſpem indubitatam concipit, fore, ut ſucceſſu temporis integra ſcelerum catena te teneat captivum. Dicitur echinus, pluvia tempeſtate veniſſe ad vulpem, rogaſſeque, ut ſeſe, donec rediret ſerenitas, in ſpecum hoſpitem admitteret, velle ſe extimo ſpeluncæ angulo libenter eſſe contentum. Exorata vulpes recepit advenam, ſed ecce: Echinus exertis utrinque aculeis ita ſe dilatavit, ut demum habitatione ſua expulerit incolam. Hunc ipſum in morem agit diabolus: rogat unicum cordis angulum, petit unicam tentationis moram; ſi admittitur, ſucceſſive fit non hoſpes, ſed Dominus cordis. Propterea monet Apoſtolus: (*Ephеſ.* 4.) *Nolite locum dare diabolo.* Nolite: quare? quia ubi locum impetrat exiguum, paullatim occupat totam domum. *Diabolus ſerpens eſt*, ait S. Hieronymus, *in c.* 9. *Eccl.*) *cujus capiti, hoc eſt, primæ ſuggeſtioni, ſi non reſiſtatur, non eſt dubitandum, quin in penetrale cordis noſtri furtim illabatur.* Lubetne hanc in rem audire hiſtoriam? audite ex Sancto Gregorio. (*l.* 4. *Dial. c.* 7.)

9. Beatus Andreas, Fundanæ civitatis Epiſcopus, multiplici virtutum, præſertim illibatæ caſtitatis, decore celeberrimus, domi ſuæ, quam inhabitabat, quamdam ſanctimonialem feminam ſecum habebat, diurnis rei æconomicæ laboribus intentam: quamquam autem & ille, & illa ab incontinentiæ periculo procul aberant, nihilominus non defuit infernalis veterator tentationum ſemina jacere, eoque adduxit Epiſcopum, ut aliquando hanc feminam, quam ob virtutis exempla multum æſtimabat, blando verbere in axillam percuſſerit. Eo tempore contigit, ut Judæus quidam ex Campaniæ partibus Romam itinerans, & præter ſpem ab ingruente nocte occupatus, cum aliud diverſorium non inveniret, in delubro Apollinis viæ conſito pernoctaret: tenebrarum horror, & loci impietas adeo perculit peregrinum, ut quamquam alias a Chriſtianorum ſacris abhorreret, pro majori ſecuritate ſeſe crucis ſignaculo communierit. Media nocte, cum pervigil jacebat, vidit repente ingentem infernorum ſpirituum turbam delubrum intrare, unumque ex iis eminentiorem in ara conſidere: aderant certatim maligni ſpiritus, & deponebant coram hoc præſide ratiocinia eorum malorum, quæ quiſque ea die per orbem operatus fuiſſet. Inter alios gloriabunde in medium prodiit unus, edixitque, ſe Andreæ Epiſcopi animum per ſpeciem ſanctimonialis feminæ adeo vehementi tentatione commoviſſe, ut illi blandiendo manum in humeros impegerit. Incredibile eſt, quanto applauſu hæc aſſertio fuerit excepta: ſupremus ille dæmonum laudabat tentatorem; ceteri omnes gratulabantur, atque hortabantur, ut perficeret, quod cœpiſſet, fore lucrum hoc tanto grandius, quanto viri ſanctioris animam ad lapſum, & perditionem eſſet pertracturus. Hæc cum immenſa formidine obrutus, ille Judæus vidit, audivitque; viciſſim viſus eſt a ſpiritu, qui ceteris præerat; juſſum eſt, ut inquireretur, quiſnam eſſet, qui jacere in delubro præſumeret; quem maligni ſpiritus accedentes, & ſubtilius intueuntes, cum crucis ſignum cernerent, dixerunt: Væ væ! vas vacuum, ſed ſignatum: quibus Præſidi ſuo renuntiatis; ſubito omne illud concilium diſparuit. Judæus primo mane ad Epiſcopum feſtinanter ſe contulit, illique omnem rei ſeriem expoſuit. Indoluit Vir Dei vehementer, quod ſua illa levitate tantam cauſſaſſet dæmonibus lætitiam; culpæque pœnitentia ductus, deinceps omni feminæ conſortio ſe interdixit; Judæo autem ſaluberrimæ monitionis gratias, & deinde Baptiſmi, ac fidei lumen contulit. Jam ego, omiſſis ceteris, quæ in hac hiſtoria notatu ſunt digniſſima, ſolum quæro, qui tantum applauſum, jubilumque conceperint dæmones ob hanc Epiſcopi levitatem? Nempe, quia ex hoc tentationis initio ſpem concipiebant, fore, ut magis, magiſque deceptus Vir Dei, ſucceſſu temporis in majora ſcelera pleno curſu ſit ruiturus. Incepiſſe in malo ſatis eſt dæmoni, ut ſibi de victoria gratuletur.